בועות

SEU

DE

IUREIUR

SECUNDUM DISC

HEBRAEC

DISSERTATIO A

DISPUTAT

A

CHRISTOPHORO C
STEMLE
A. M.

ET

CHRISTIANO NICOLA
Schoendorff. Varisc. Sacr.

CONFLICTUI DICTUS EST D. V. CAL. OC

L I P S I

EX OFFICINA SAAL

שבוע

SEU

D E

URANDO

DISCIPLINAM

AEORUM

O ACADEMICA

UTATA

A

RO GOTTHELFF

MLERO,

. M.

ET

COLAO BERMANNO,

ſc. Sacr. Scient. Cult.

. CAL. OCTOBR. A. R. S. CIↃIↃCCXXXVI.

S I AE,

SAALBACHIANA.

PERILLUSTRI

ATQUE

GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO,

ANDRAEAE FRIDERICO

DE POELLNIZ,

HAEREDITARIO DOMINO CULMLAE

ATQUE HERSCHDORFI,

MAECENATI INDULGENTISSIMO,

STUDIORUM MEORUM PROMOTORI,

OMNI HONORIS AC PIETATIS

CULTU

AD URNAS USQUE

PROSEQUENDO,

QUO
OBSERVANTIAE,
GRATIQUE ANIMI MEI,
PRO
TOT AC TANTIS
AB INCUNABULIS USQUE
MIHI
EXHIBITIS BENEFICIIS,
DOCUMENTUM QUODDAM EXTET PUBLICUM,
DISSERTATIONEM HANC
DO, DICO, DEDICO,
FERVIDISSIME SIMUL APPRECANS,
UT NUMEN SUPREMUM
ILLUM
OMNIGENA ATQUE PERENNI FELICITATE
FRUI IUBEAT;
ME VERO ET STUDIA MEA
EIUS
PATROCINIO GRAVISSIMO
DEMISSE COMMENDO.

ILLUSTRIS ATQUE GENEROSISSIMI
NOMINIS,

OBSTRICTISSIMUS AC DEVOTISSIMUS
CULTOR,
CHRISTIANUS NICOLAUS BERMANNUS.



PRAEFAMEN.



Eximia eſt, conſentientibus prudentiorum omnium ſuffragiis ea humani ingenii imbecillitas, qua in actionibus humanis prava a rectis, neceſſaria a ſuperfluis, a lubricis certa, ab inutilibus tandem profutura, omni mentis acie diſcernere poſſimus rariſſime. Nulla probatione haec indigere, qua dictis fidem conciliem, certiſſimus ſum; ſi tamen in re levi et trita requiratur, *iuramenta* in rei teſtimonium proferre nullus dubito. Fuerunt enim non pauci olim homines, qui omnem iurandi uſum e ſocietate humana proſcribere adlaborarunt; et hodienum adhuc exiſtunt quamplurimi, qui eo quo poſſunt conatu, neſcio quo, ea relegare conantur. Quemadmodum vero, omnium conſenſu, ea etiam deploranda huius ſeculi eſt labes, quo ſimpliciſſima ne dicam turpiſſima aetatis noſtrae ingenia, tum egregiis aliis inſtitutis, nefando auſu, tum quoque iuramentis creberrime abutuntur: ita eorundem tamen legitimum uſum in dubium vocare emunctioris naris conatus eſt nullus. Quodſi enim medium melius feliciusque veritatem expediendi hactenus in caſu dubio excogitari potuit nullum, quippe quod *πεϱας πασης ἀντιλογιας Hebr. VI, 16.* recte vocatur; vel hanc quoque ob cauſam retineri poſſe exiſtimem, cum

ab ultima mundi aetate, omniumque gentium consuetudine, possessione quasi sua gaudeat, imo a summo Numine ipso veritates sanctissimas venerando hoc sigillo munitas non raro legamus: eundem quoque omnium rerum moderatorem, legitima iuramenta probasse, legesque iuxta quas eadem concipere deberent, praescripsisse, apertissimis testimoniis hac ipsa in Dissertatione commonstravimus. Quocirca non inutilem navasse arbitramur operam, si, quae prima in republica a DEO instituta de iureiurando fuerit sanctio, quive ritus data opera edisseramus. Non quod primi hoc agamus: dissimulandum enim non est, viros gravissimos, et in recondita iudaicae gentis antiquitate versatissimos, strictim quidem, alios et concise, copiosius paulo alios, hoc ventilasse argumentum. Quos inter MAIMONIDES * ipse, inter suos facile argutissimus, et qui in eundem dederunt commentarios et versiones: MIEGIUS et DIETHMARUS, * LYDIUS ** et NICOLAI *** primo sunt ponendi loco, aliique, qui peculiares hac de re exhibuerunt dissertationes. **** At interest omnino, orbis eruditi, unum thema tractari a plurimis, iis maxime, quibus non per omnia convenit, et dispar tractationis modus et scopus diver-

* MAIMONIDIS liber *de iuramentis* editus cum quinque aliis a *Io.* ULMANNO latine, a *Io. Fried.* MIEGIO theol. Palatin. cum vers. et notis 1672 et *Iusto Christ.* DIETHMARO, quos tamen impetrare non potui. vid. Cel. WOLFFII Bibl. hebr. Tom. I. p. 843. et III. p. 776. et b. *I. A.* FABRICII Bibliograph. antiquar. c. XII. §. 7. p. 435.

** *Iac.* LYDII Diss. poshuma de Iuramento, cum eiusdem Syntagm. S. de re militari cura *Salom. van* TILL. prodiit Dordrac. 1698 in IV maj.

*** *Io.* NICOLAI Diatribe de Iuramentis, hebr. Graec. Romanor. aliorumque populorum prodiit Francof. 1700 in 12.

**** Inter hos eminent *Io. Tob.* MAIOR, qui 1641. Jen. de Juramentis Oriental. una cum *Georg.* CRAUSERO primum schol. *Senator*. Jenens. Con-Rect. tandem Superintend. Eisenberg. disputavit; alteri vero haec materies ita arrisit, ut singularem, in usum aliorum, piam et eruditam conscriberet, *Horcologiam*, seu Christliches Eydbüchlein. *M. Christoph. Dietric.* HALTERMANN de formulis iuramentor. Iudaicor. Rostoch. 1701. *Seb.* SCHMIDIUS de Juramentis in Fascicul. Dispp. p. 615. et quos laudat s. r. WOLFFIUS: e. g. *G. G.* ZELTNERUM in diss. de iurament. hebraeor. Jen. 1693. *Io. Ludov.* FREY Diss. de eodem argumento, Basil. 1712. et *Io.* RODOLPHI *Bern* 1706. quibus tamen frui non licuit. vid. Curas Philolog. et Critic. in Evang. ad Matth. V. cap. p. 104 ed. noviss.

diverſus, et alia ſubinde eſt obſervandi ratio: unde operam nos et oleum non perdituros ſperamus, ſi, quae ab aliis, vel conciſe vel obſcure declarantur, (quod inprimis *Lydii* et *Nicolai* vitium non leve eſſe deprehendi, qui Romanorum Graecorum aliarumque gentium ritus et obſervationes in iuramentis adhiberi ſolitas, absque delectu ordinisque habita ratione non ſine taedio lectorum propinarunt;) paulo copioſius, exhibeamus, ubi ſententiarum eſt divortium, quid nobis vero videatur ſimillimum, exponamus, quae ab aliis neglecta vel inſuper habita fuerunt, ſubjungamus, omnemque illam, ex fontibus ſcripturae S. et veterum hebraeorum monumentis erutam, iudaicorum iuramentorum diſciplinam, qua licuit, in tanta dicendorum copia, brevitate, ac fide enarremus, procul habituri, quicquid praeter iudaicum, de aliis dici queat iuramentis. Id unum diſplicere tibi B. L. poſſe hariolor, in adducendis hebraeorum teſtimoniis, ipſismet eorum verbis conceptis, nos admodum fuiſſe parcos; temperandam autem nobis fuiſſe ſcribendi rationem ſcias, ne, cum urceolum emittere conſtitutum nobis ſit, amphoram foras pendamus. Nugiventulorum enim non ultimam hanc eſſe ſollertiam et fraudem ſaepius comperio, quo linguas adducere religioni ſibi non ducunt, quas ne a limine quidem ſalutarunt, in iisque tironibus et truncis hebetiores ſaepe numero reperiuntur; & libris tumeſcunt, quorum ne rubra quidem ad ultimam usque ſenectam conſpicere dabitur copia. Et quod caput conſtituit cauſae, doctioribus haec omnia eſſe in promtu, qui et in fontibus ipſis relegere omnia poſſe, mihi habeo perſuaſum; imperitiores autem de Rabbinorum placitis, non raro, ut, coecus de colore ſolet, iudicare, non adeo videtur mirum, cum peritiores etiam, magnique interdum viri, in arduo hoc negotio nubem pro Iunone amplectantur ſaepisſime; adeoque illis merito tritisſimum illud adſcribere non erubeſcimus:

Quid iuvat adſpectus ſi non conceditnr uſus?

Fatendum praeterea mihi quoque ingenue eſſe intelligo: in Diſſertatione hac a plurimorum virorum, maxime etiam conſpicuorum interdum me recedere ſententiis; quod tamen laboris non animo adfectuum impetu abrepto, nec famam cuiusquam laceſſendi cupidine, nec iactantia quadam vanoque inclareſcendi pruritu, ſed ſolius veritatis vindicandae ſtudio, ſuſceptum fuiſſe, firmisſime

 credas:

credas: si quis enim est, qui ingenium eorum, aut dignitatem suspicit, eum me esse profiteor; hanc autem ingenii humani quoque conditionem non esse, ut nunquam erremus, cognitum etiam perspectumque habeo; et sapientissimus mecum fatebitur quisque, eruditionis magnitudinem, a communi labendi periculo eximere neminem, et veritatem, non a gravitate cujusdam dignitatis, sed ab argumentorum pondere existimari debere, omnibus, verae eruditionis tironibus res est notissima. Ut autem ordinis habeatur ratio: VI. rem omnem complectar sectionibus, quarum *Prior*, de indole, vocibus et iuramentorum hebraeorum divisione erit sollicita; *Altera*, personas iurantes sistet, *Tertia*, in formulis erit occupata, *Quarta*, gestus iurantium enarrabit; loca ubi olim iuratum fuit, monstrabit *Quinta*, et *Sexta* denique periurii gravitatem, ejusque poenas et sacrificia, pro tanto reatu oblata, adhortationesque ab omnibus, si fieri potest, iuramentis abstinendis, indicabit. Quibus uberius explicandis, pro sua in nos benignitate, supremus rerum omnium arbiter testisque locupletissimus, prosperos felicesque largiatur successus.

SECTIO PRIMA
DE IURAMENTI INDOLE.

§. I.

A prima mundi origine tam rarus fuit inter homines veritatis amor, verborumque fides, ut nulla majori vi, vinculoque fortiori nullo, ad servandam fidem datam potuerint adstringi, quam iureiurando, certissimo veri signo; quod sacramentum, quasi sacra et incorrupta mente prolatum, iure meritoque compellavit CICERO *de Off. lib. III. c. IV.* Ex omnium gentium ritibus, in iuramentis adhiberi solitis, facili id negotio, si instituti permitteret ratio, probare possemus, si cuivis in re tam levi et clara oboriretur dubium, quod tamen omnes ferme, qui juris naturae leges edocere solent, iamdudum dissoluerunt. Ne itaque actum agere aut post Homerum Iliada conscribere videamur, data opera ea praetermittimus, in eo quippe, quod ad instituti nostri rationem propius accedit, solum persistentes. Operae tamen pretium esse

eſſe confido, antequam de re ipſa diſſeratur, voces hebraeorum quibus iuramenta inſignire voluerunt, paulo curatius excutere. Variis autem utuntur verbis, quibus iuramentum connotare ſolent, quorum tamen uſitatiſſimum eſt שבוע, vel שבועה et quod idem eſt שבעה a שבע *ſeptem*, originem ducens, quoniam ſolemniter olim iuraturus, inter ſeptem teſtes conſtituebatur, hinc rem ipſam hoc nomine deſcripſerunt, a numero ſcilicet ſeptenario, qui ſummae perfectionis, plenitudinis, ſufficientiae et quietis ſemper fuit habitus, * et quo ſignificare voluerunt, iuramentum actionem ſacram religioſamque, neque temere, ſed firmo animo, deliberatoque conſilio, certis teſtibus, et argumentis fieri, debere; id quod et ſacra et profana monumenta teſtantur. Plerumque paſſiva voce uſurpatum invenimus, quaſi iureiurando adſtringi, quod nemo, inquiunt, niſi ſolenniter coactus, iurare debeat, qui vero violet iſtud, a ſeptem rebus ſe excluſum ſentiat: vita ſcilicet pace, ſapientia, divitiis, gratia, ſemine, imperio. Aliis quoque denotare ſolent vocibus, ut מומי, מומתא, אומאה, omnibus iuramentum, aut execrationem, deſignantibus, quemadmodum Lev. V, 1. et audierit קול אלה *vocem execrationis*; ubi in Onkeloſo קל מומי habetur; et Num. V, 1. ubi legislator praecipit, ut ſacerdos mulierem iſtam בשבעת האלה iuramento maledictionis adiuret, Targum per במומתא דלוטא reddit. Deſcendit autem a rad. chald. teſte BUXTORFF. f. 957. ימא *iuravit*, quae legitur in Targum Jer. V, 2. Zeph. 1, 5. Exod. XX, 7. Syrus quoque ab eadem voce deducit ܡܘܡܬܐ Matth. 5, 33. Apud *Talmudicos* in *Nedarim* fol. X, 1. legitur במוהי נודר vovens per execrationem, quod corrupte ſic dicitur pro מומי ap. *Buxt.* l. c. Eandem ſignificationem etiam habet קים quod 1) denotat quidem *pactum* et *foedus* vel *ſtatutum*, 2) vero etiam iusiurandum, ut in Onkeloſo, Num. XXX, 3. יקים קים *aut iuraverit iuramentum*, quod eodem ſenſu Deut. VII, 8. ית קימא די קים *juramentum*, *quod iuravit patribus veſtris*, et cum affixo Pſ. CV, 9. וקימה ליצחק *et iuramentum ſuum Iſaaco*, alibique ſaepius repetitur. Pari modo hebraei iusiurandum per קונמי exprimunt, a קונם deſcendens, quae vox

 ſancte

* Vid. LAMPII, inter Reformatae eccleſiae doctores excellenter docti, *Myſterium fœderis gratiae.* Tom. III. Vol. II. p. 265.

sancte vovere, sancte promittere et *iurare* significat, hinc [illegible] vota cum execrationibus, ut in libro precum: כל הכמי[illegible] קונמי, omnia anathemata et omnes execrationes in *Mach*[illegible] precum libro, citat a BUXTORFF. l. c. p. 2070 v. קנם in ora[illegible]ne כל נדרי quam in principio anni dicunt reperitur. Ut g[illegible]orum romanorumque adpellationes taceamus, cum f. r. W[illegible]US et *Io.* NICOLAI nobis hac in parte otium reliquerint. [illegible] tamen subscribere nequeo, Germanorum vocem Eid ab [illegible]raeo עיד *testis* vel testimonium derivanti; quod iurame[illegible] debeat esse testimonium animi, conscientiae et veritatis, [illegible]um eo testis simul advocetur Deus. De etymologia dubito, [illegible]re consentio; ut MAIMON. obiectum legitimi iurament[illegible]um recte intelligit, in *Hilcoth* שבועות cap. XI, 1, *Prohibitum*[illegible], inquiens, *una in nomine Dei et re aliqua iurare; hinc om*[illegible], *qui nomini Dei sancti et benedicti aliud aliquid addiderit, ex mundo extirpabitur. Neque enim ullum nomen est honoris huius capax, ut per id creatura iuret. Haec gloria soli Deo benedicto competit.* Neque tamen attributa divina ab iis excluduntur, ut idem docet MAIMON. l. c. c. II. dicens: *jus idem est, sive quis iuret, aut ab alio adiuretur per nomen Dei proprium, sive per cognominum aliquod, ut, si iuramentum fecerit per nomen eius, qui est gratiosus, per nomen eius, qui est misericors, per nomen ejus qui est longanimis, aut per eiusmodi aliud, quocunque modo &c.* Et hoc iuramentum dicitur illis *perfectum*, ad quod defendendum, adlegant verba legis Deut. VI, 13. *Dominum Deum tuum timebis, et illum coles, et per nomen eius iurabis*; hinc saepissime ביהוה אלהי ישראל *per Dominum Deum Israel*, vel ביהוה אלהי חי *per Dominum Deum vivum*, iudaeos iurasse invenimus.

§. II.

Neque alia ratione, ut par est ac decet, sed per solum hunc Deum *opt. max.* iurare tenentur homines, si opus sit, veritatem suam confirmare. Id enim ex intima iurisiurandi forma et natura demonstretur, nunc necesse est. Ex fine enim si aestimemus, dicimus iuramentum: confessionem de rei veritate, quam modus illius sermonis, quo iurantes utuntur, confirmat; ita ut I) professio de *teste*, tum *omniscio*, tum *verace* apertissime declaretur. II) Invocatio eiusdem addatur, ut, quia conscius est, velit quo-

que

que testis esse, veritatemque occultam in apricum producere, adhibita simul omnipotentia, quae omnes fraudes viasque opprimendi veritatem occultas, detegat, et eludat. III) Provocatio ad eundem annectatur, ceu iudicem ac vindicem, cujus iudicium pejerans, effugere potest neutiquam. Numen enim quod omnia moderatur, solum est omniscium, cordium scrutator et veracissimus, Job. XVI, 19. c. XXXIV, 21. Jer. XVI, 17. Ps. CXXXIX, 1. sqq. Tit. I, 2. Is solus quoque omnibus locis praesens et omnipotens Jerem. XI, 20. XII, 3. Summus praeterea iudex, scelerumque vindex, et periurii, fidemque fallentium ultor gravissimus. Minus tamen recte a b. BUDDEO * Deus, non ut testis, sed solus ut scelerum vindex allegatur, cum nobis iuramentum sit: Deliberata numinis divini tanquam *testis et vindicis* invocatio religiosa, qua pœnam in nos deposcimus, si fallamur aut verum non dicamus. Dum autem Deus iustissimus invocatur in testem, necesse est, invocans eum simul timeat ut vindicem, et dum omniscium implorat, ut vindicem, certissimus simul est iurans, quod ipse quoque sit testis. ** Viderunt hoc iam pridem AMBROSIUS Episcopus Mediolanens. et ISIDORUS, quorum alter ita ad VALENTINIANUM Imp. *quid est iurare, nisi eiusquem testare, fidei tuae praesulem divinam potentiam confiteri.* Alter vero, inquit, *quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur intelligit*, quibus GROTIUS calculum suum non denegat. *** Et PAULUS *Apostolus* rem dubiam reddit clarissimam: sicubi enim illum iurare legimus, Deum quoque testem invocare comperimur. Ita Rom. I, 9. Μαρτυς γαρ μȣ εϛιν ο Θεος ω λατρευω εν τω πνευματι μȣ, εν τω Ευαγγελιω τȣ υιȣ αυτȣ ως αδιαλειπτως μνειαν υμων ποιȣμαι. Et II. Cor. XI, 31. Gal. I, 20. uberius confirmat. Ex quibus denique facile colligere est, neminem posse iusiurandum legitime rescindere aut violare, etiamsi

* C. *Io. Fr.* BUDDEUS in Philos. pract. p. m. 293 et in Institit. Theolog. moral. P. II. c. III. sect. V. §. X.

** Vid. *Chr.* THOMASII Instit. Jurisprud. div. lib. II. cap. IX. §. 42. et PLACETTE Theolog. Reform. in Traite du Serment liv. I. cap. I.

*** Vid. GROTII Jus Belli et P. lib. II. c. XIII. §. X. p. 717 sqq. Edit. BECMAN. et *Io. Eberhardi* ROESLERI Diss. de iureiurando de reillicita exemplis Bibl. illustrat. Tubing. MDCCXII.

etiamsi damno nostro praestandum sit, quod fortasse ante iuramenti actum non praevidimus. Bonus enim vir, ex sententia hieropsaltis, etiam in damnum suum iuratus, nunquam illud mutat. Ps. XV. Quemadmodum vero longe plura alia eaque non incongrua heic notanda venirent, quae suo iure illustrari mereantur; instituti tamen nostri ratio non permittit ea nunc exsolvere, cum de iureiurando integram commentationem conscribere, nobis non sit praestitutum.

§. III.

Ante vero quam ad alia veniamus, de variis iuramentorum generibus et divisionibus dispicere liceat, in hebraeorum scriptis obviis. Ita vero in titulo Talmudico שבעות in cujus *Misnam* MAIMONIDES ille, inter suos celebratissimus doctissime commentatus est, statim sub initium, quatuor iuramentorum recensentur species: ut שבועות בישוי *iuramentum temerariorum.* שבועות שוא *vanorum,* הפקדון *depositi* ac denique העדות *testium. Primam* horum speciem extricare solent ex Lev. V, 4. et rursus in quatuor partes dividunt; *binas enim de futuro et binas de praeterito* interpretantur. *Secundum* genus *Vanum* appellatur, cum quis iurat, quod aut evidentissimae veritati contrarium, aut de quo nemo unquam dubitavit v. g. *coelum esse coelum* aut quod vel impossibile, vel minime tamen agendum esse statuerunt, ut si quis iuraverit: *Se nolle sua phylacteria gestare, aut in Paschate azymum comedere. Impossibile vero erat, eum* v. g. *quis sacramento* pollicebatur, se per triduum et trinoctium non dormiturum, aut per plenam septimanam nihil gustaturum. Quamlibet autem harum speciem interdicto illo Decalogi Exod. XX, 7. contineri, existimabant. *Tertium* genus erat de *deposito*; quando quis jurabat, socium suum nihil apud ipsum deposuisse, aut se quicquam habere, quod ad ipsum pertineat; aut quando, se depositum non habere, sed illud surreptum, fractum, aut alio modo perditum esse iuramento adseverabat. Qui vero de deposito pejerabat, restituere substantiam, quam se iuramento habere negaverat, cum additione quintupli et oblatione pro reatu, tenebatur. * *Quartum* denique genus erat *Testimonii,*

* Vid. MAIMON. c. VII. de iuramentis ex vers. ULMANNI p. 72.

monii, quando teſtes, ſcientes de pecunia vel alia re depoſita, coram iudicio iurarent, ſe neſcire, an aliquid harum rerum, de quibus ſermo, depoſitum ſit nec ne? Lex de eo habetur Levit. V, 1. *Si peccaverit quis et audierit vocem iuramenti, teſtisque ipſe fuerit, aut viderit vel cognoverit, ſi non indicaverit, portabit ſuam iniquitatem.* * Majorem tamen, ac in reliquis, adhibebant curam, ne malae notae teſtes advocarent; hinc reiiciebantur: *aleator, foeneratores, qui columbas volare docebant, et nundinatores fructuum anni ſeptimi*, quippe qui non ad quaeſtum vel lucrum ſed neceſſarium uſum concedebantur. Ex ſanguinis autem propinquitate repudiabantur: *frater, patruus, avunculus, amita*, et *matertera*, et *qui ex fratribus ſororibusque prognati erant.* Aliam quoque ſpeciem in teſtimonium non advocandorum refert MAIMON. *tract. Hilchoth Schebb.* c. IX. 10, 11. in qua erant: *foeminae, ſervi, minores, fatui, ſurdi, coeci, impii, impudentiores, propinqui, falſi antea convicti, amici et inimici.* Rex etiam ipſe aliusque vir magnus teſtimonio ferendo excludebatur, ſi de vilioribus rebus agebatur. Neque ſacerdos ſummus, niſi in regem et coram ſynedrio M. teſtari poterat. Arcebantur porro a teſtimonio, *qui dubii erant ſexus, ſemi liberi, deliri, ſtolidi, epileptici, et qui paſtores parvi pecoris erant*, qui *nutriebant capras, aliique, qui ſata carpendo corrumpebant*, et tandem omnes *de fece plebis* et *quorum intererat.* Septem autem quaeſtionibus examinabantur teſtes, quo anno, menſe, quoto die menſis, quo die, qua hora, quo loco? Non convenientibus vero teſtimoniis, neque illud ſolebat accipi. Quodſi vero iuramentum teſtimonii violaſſe ſtatuerentur teſtes, decem iſta concurrerent neceſſe erat: ut actor eos requirat, ut quaeſtio controverſa ſit de debito, et eo quidem in bonis mobilibus conſiſtente, ut ſolo horum teſtimonio reus ad ſolutionem poſſit obligari. Ut denegatio teſtimonii ſit poſterior requiſitione actoris, ut eadem fiat coram conceſſu iudiciario, ut ibi iuramentum per nomen Dei proprium, vel aliquod ex appellativis praeſtetur, ut notitiam rei teſtandae ante iuramentum habeant teſtes. Ut iidem qui dum adiurantur, vel ad teſtimonium dicendum invitantur, *ſigillatim* compellen-

* Vid. SELDENUS de Synedr. Ebr. lib. II. c. II. p. 864. ed. Frf. conf. *Compiegne de* VEIL Annot. in *Maimon.* de ſacrif. p. 156. et *Otho* in Lex. Rab. f. 307. NICOL. l. c. p. 152.

pellentur, et tandem ut adiuratio fiat cognita vulgarique iis lingua. Plura, proferre non attinet, harum tamen rerum cupidis, SELDENUS l. c. et NICOLAI inprimis *cap.* XX. p. 225. faciet satis. Ad propositum potius accedendum est, et quae hac in re hebraeorum genti propria sint, ad ductum scripturae S. pariter et monumentorum iudaicorum dispiciemus.

SECTIO II.

DE PERSONIS.

§. I.

Solemnis autem et divina origo, veritatem religiose adserendi, nullibi felicius nisi in ipso codice sacro, certissimo antiquitatis hebraicae fonte, quaeritur et invenitur. Quamvis enim et reliquae gentes extraneae omnes, vinculo hoc ad fidem obstringendam utebantur, hebraeum tamen populum, utut omnium facile principem, hac in re etiam quemadmodum in pluribus aliis imitatas fuisse, negare facile posse credo neminem. Quidquod ipse Jehova, summus Israelitarum dux et legislator, iuramenta non tantum pro elicienda veritate confirmandaque concessit; sed et ipse veritates, promissiones et beneficia nimium quantum incredulae huic genti, et ad deficiendum admodum proclivi, iureiurando confirmavit sanctissimo, quam ob causam legitimus huius usus in dubium vocari nequit. Quemadmodum vero homines adsertionem hanc religiosam, qua poenam divinam in se deposcunt, nisi verum dicant, per maiorem facere coguntur, ita iusiurandum utrique divinarum personarum, et patri et filio in pandectis sacris adscribitur; hac tamen ratione: ut, quum Deus rerum omnium arbiter, architextus et vindex ipse sit, perque maiorem iurare nequeat, quamcunque veritatem per se ipsum adserat et confirmet. Ita enim Deum inprimis patrem, * de quo iam sermo erit, promissiones beneficiorum, tum spiritualium, e. c. de officio Christi sacerdotali Ps. CX, 4. et Ies. XLV, 23. de omnium gentium obedientia

* Nemini videbitur mirum, iuramenta etiam divinarum personarum in dissertationem hanc referri, cum non tantum materiae gravitas sed et cognatio argumenti id postulare et de iisdem agere paulisper suadere videbatur.

dientia reverentiaque erga Iehovam et de misericordia erga lapsum deperditumque genus humanum summa, Ezech. XXXIII, 11. tum temporalium, ut Exod. XIII 5. Devt. VII, 8. XI, 9. iureiurando confirmasse legimus. Et Davidi iureiurando regni haeredem promiserat. Ps. LXXXIX, 36. CXXXII, 11. Ita quoque de remittendis aquis tempore Noachi Jes. LIV, 9. et LXII, 8. iurat, Jehova; se amplius frumentum et cibum Israelitarum hostibus dare nolle. Comminationes etiam suas et exsecrationes interdum venerando hoc sigillo munitas legimus v. c. Ps. CXV, 11. *quibus*, inquit *iuravi in ira mea, eos non ingressuros in requiem meam*, quales adhuc alias iuranda formulas exhibet. Ies. XIV, 24.25. Ier. XXII, 5. XLIX, 13. LI. 14. Num. XXXII, 10. I. Sam. III, 14. Quum vero Deum veracissimum omnino sciamus, neque unquam falli aut fallere posse, in quem proinde nec, propter summam eius sanctitatem, mendacii cadat suspicio, I. Sam. XV, 29. Ps. XXXIII, 4. ita omnia quoque eius adserta, si veritatem eorum spectes, iuriiurando etiam religiosissimo aequipollent, imo illud superant; liberrima tamen non nunquam voluntate quorundam a se dictorum confirmationem, in usum nostrum, iuramento tradere, arctiusque commendare voluit. Causas tamen si quaeras, quae tanti Numinis bonitatem ad iurandum permoveant, partim in απιςια impiorum, qui ipsum pro mendace habent I. Io. V, 10. in imbecillitate partim piorum, ponendas esse, omnes facile largiri confido. Horum enim adsensus, quem promissionibus ejus interdum praebere vellent, ita saepe variis cum haesitationibus luctatur, ut, ubi pedem certum ac stabilem figat, invenire non possit. Summo autem Numini ut καρδιογνωςη cum ignotum esse nequeat, homines aliqua veneratione eorum testimoniorum duci, quae interposito iureiurando, iudicialiter quasi confirmata sunt, ac proinde iuramentum ab ipsis haberi pro omnis contradictionis fine Ebr. VI, 16; per admirandam Φιλανθρωπιαν in eorum descendit infirmitatem promissionibusque omni fide dignissimis, iusiurandum addit; et homines hac in parte imitatus, in foederibus et pactis iuramenti religione sese obstringentes. Homines enim lege divina ad veritatem, ubi eam profiteri debent dicendam, itemque ad promissa pactaque servanda obligantur; Deus autem cum superiorem non habeat, nulla lege, nulliusque iudicis vi, ad hoc obstrictus est, sed, cum hominibus ob eo-

 rum

rum imbecillitatem more humano agere, censendus est. Confirmant haec satis iuramenta divina in medium iam producta, ubi per se ipsum iurat, Ebr. VI, 18. cum superiorem agnoscat neminem, h. e. ad suam provocat sanctitatem, quod firmamentum longe validius, quam omnium hominum praebent iuramenta. *

§. II.

Recedere tamen aliquantisper iusiurandum videtur secundae divinitatis personae, quae Dan. XII, 7. dextram et sinistram versus coelos efferens, viventem in aeternum iuravit; et Apoc. X, 6. idem Dei filius ωμοσεν εν τω ζωντι εις τους αιωνας των αιωνων, ος εκτισε τον ουρανον, και τα εν αυτω, και την γην, και τα εν αυτη κ. τ. λ. quae cum de filio Dei explicari omnino debeant, magnum ex his aliisque locis similibus Arianorum Socinianorumque turba, robur et argumentum se accepisse credidit, quo quidem Soterem O. M. verum Deum esse callide satis adfirment, summum autem omnium rerum moderatorem et architectum, qui superiorem nullum agnoscat, negent, et eum proinde a supremo Deo, quem solummodo patrem esse profitentur, tanquam Deum inferiorem, subordinatumque, temerario prorsus nefandoque ausu distinguant. ** Tantum tamen abest ut victoriam etiam et hac occasione, male scilicet intellectis Danielis et Apocalypseos locis, reportent, ut potius eandem a nostris stare partibus intrepide confirmemus. Cum vero huius loci non sit, nec instituti patiatur ratio, loca haec ab adversariorum strophis vindicare, ad castra theologorum potius illa remittere cogimur, ne falcem in alienam messem immittere videri queamus. Non possumus tamen non, quin luculentissima filii Dei in medium producamus iuramenta alia, quorum prius Moyses his concepit verbis Gen. XXII, 16. ויאמר כי נשבעתי נאם־יהוה כי יען אשר עשית

* Sunt verba b. *Io. Fr.* BUDDEI, Instit. Theol. Dogm. lib. II. c. 1. f. 331. ed. prim.

** Vid. *Faust.* SOCINUS de unigeniti filii Dei existentia, Tom. II. opp. pag. CCCCIIIC. Sic *Io.* VOLCKELIUS inprimis de vera religione lib. V. cap. XII. inquit: si generatus est filius, ut sane generatus est, ab omni aeternitate non extitit, sed fuit tempus aliquod, quum nondum existeret. Quae tamen ex recentioribus satis accurate profligavit ven. *Io. Frid.* WUCHERER Jenens. Theolog. in Diss. inaugurali *de subordinatione filii in divinis non admittenda*, Jen. MDCCXXIX.

עשית את־הדבר הזה ולא חשכת את־בנך את־יחידך h. e. et dixit: per me ipſum iuro, dictum Jehovae, quandoquidem feciſti rem hanc et non ſubtraxiſti filium tuum, unicum tuum &c. Nec eſt, ut multis rationibus evincamus, haec filii Dei eſſe verba, cum inter plurimos S. S. interpretes res ſit certisſima. Alterum vero filii Dei, quo per ſe ipſum iurat, oraculum, Ieſaias Cap. XLV, 22. 23. adflatu divino, his exhibet verbis: *Per me juro, hoc ore iuſtum proferens verbum non revocandum; mihi omne flectetur genu et omnis lingua iurabit.* Sub quibus verbis divinam Trinitatis perſonam latere, quippe quae v. 21. ad conſcientiam hominum adpellare eosque interrogare poteſt ſola: הלא אני יהוה *Nonne ego ſum iuſtus et Salvator?* et v. 22. *reſpicite ad me quoniam ego ſum* אל *Deus fortis praeter quem non eſt alius &c.* neminem ſanioris mentis compotem negare poſſe confido. Neque tamen minus manifeſtum eſſe exiſtimo, alteram in trinitate perſonam hic ſeſe manifeſtare, quae omnes opes et divitias ſuae gratiae expandit, omnesque ſine diſcrimine gentes, in ſinum ſuum invitat, quae omnes denique terrae fines ad acceptandam iuſtitiam exhortatur, a ſe quippe generi humano procuratam. Ampliſſime id probare poſſemus ulterius non tantum ex attributis divinis, ſed et iuſtiſicatione, cujus ſit mentio, qua etiam alii iuſtificari poſſunt v. 24. 25. quod tamen ſcriptionis noſtrae inſtitutum non permittere videtur. Addi et alia loca poſſent in quibus iurantem per ſe ipſum filium Dei legimus, ut Num. XIV, 20-23. collat. cum Pſ. XCV. 11. et 1. Cor. X, 5. 9. Ebr. III, 7. ſq. c. IV, 1-11. Similique modo ex Eſ. XLIX, 18. filium Dei eſſe, qui per vitam propriam iurat, ſine negotio convincetur, qui integrum caput cum cura perlegerit, eiusque initium conſideraverit, tum finem rite perpenderit, qui ita ſeſe habet: *et ſentiet omnis caro, quod ego Jehovah, ſalvator tuus, et redemtor tuus potens Jacobi. Eundem* etiam qui Zeph. II, 9. dicit: *quam vivus ſum ego, inquit Jehovah Zebaoth Deus Iſraelis*; Meſſiam, et Dei eſſe filium ex v. 11. patet, ubi a gentibus, inſularumque incolis adorandus dicitur, ſi conferas Eſa. XLII, 1-5. Matth. XII, 18-21.

§. III.

In communem deinceps uſum pervenit, ut ſi quis veritatem a ſe dictam cenſeri, vel obligari, vel confirmare aliquid vellet, iu-

reiurando interposito fidem dare soleret. Sic primores Israelitarum astutia et fraude Gibeonitarum deceptos, foedus cum iis fecisse iureque iurando confirmasse refert *Josua*; quapropter eos etiam non percusserunt, cum iuramenti religione sese obstrinxissent *per Jehovam Deum altissimum* Ducem Israelitarum, quod etiam adversus omnes murmuratiores plebis sancte conservatum refertur cap. IX, 15. 18. 19. * Ita Abrahamus iuramenti fide confirmabat Abimelecho, se omnem benignitatem, quam ab ipso in peregrinatione sua acceptam tulerat, pari benevolentia erga ipsum, filium, nepotesque eius compensaturum, *Gen. XXI*, 24. quod etiam restauratum cum filio Isaaco, confirmatumque legimus *Cap. XXVI*, *31*. De MOSE iurante verba facit Josua, *cap. XIV*, *9*. Sic quoque rex Saul filio Ionathani iuramento confirmabat, DAVIDEM se minime necaturum, *I. Sam. XIX*, *6*. quale etiam ex desperatione pythonissae enthoreae datum ab ipso infausto hoc rege legimus, capite hujus libri *XXVIII*, *70*. Davidem quoque iuramentis fuisse usum, repetitis vicibus legitur. Ita enim SIMEI iuramentum ab eo impetrabat, se non occisum iri, *II. Sam. XIX*, *22*. *23*. Cum regni candidatum Davidem iamiam persentisceret SAUL, eundem iuramento obstrinxit, ne unquam semen istius extirparet. *I. Sam. XXIV*, *23*. Idem vero DAVID, BATHSEBAE, regiae uxori, iureiurando successorem regni, SALOMONEM, in spem regni natum, constituebat. *I. Reg. I*, *17*. *29*. *30*. Sic et deinde ipse Salomon, de ADONIA morti tradendo *I. Reg. II*, *23*, *25*. iurabat, et quid IONATHAN DAVIDI, hique ambo inter se iuramento promiserint, legitur amplissime, *I. Sam. XX*, *17* et *42*. descriptum. Sic SEDEKIA rex IEREMIAE iuramentum clam exsolvere non dubitabat, se ipsum neci nunquam traditurum, *Ierem. XXXVIII*, *16*. Eundem in modum principes iudaicae gentis rem, *III. Esrae libro*, *cap. VIII*, *93*. narratam, iuramento confirmabant, et NICANOR, nisi *Judam* in manus suas traderent, et templum se combusturum omnesque trucidaturum esse, I. Maccab. VII, 35. iurabat. Bachidem vero melius in Judæos animatum, omnes a Ionathane propositas conditiones ratas habuisse, iureque iurando confirmasse legimus pacem, 1. Macc. IX,

* Ad aequitatis et iuris naturae leges revocatum examinatumque hoc iuramentum lege sis apud GROTIUM *in Jure belli ac pacis: lib. II. cap. XIII. §. IV. p. 695*. ed. BECMANNI et *Roeslerum* in Diss. cit. §. XI.

IX, 71. Ita quoque ESAU, primogeniturae iura, iuramento tradidisse IACOBO, relatum Gen. XXV, 33. legimus.

§. IV.

Ad minores quoque descendit hic mos, veritatem et obsequium erga maiores observandum, iuramento pollicendi; quam in rem II. Sam. XXI, 17. Israelitarum turba Davidi sese obstringebant, et Ethai ille Gethita eidem regi omnem cultum et pietatem promittebat, II. Sam. XV, 21. Davidis vero et Ionathanis, I. Sam. XX, 3. Labani et Iacobi, Gen. XXXI, 52. 53. exploratorumque Iosuae, Ios. VI, 22. iuramenta mutua praestita, occurrunt. Sic quoque Israelitae, sacramenti religionem profitebantur Mizpae, se filias suas ex Beniamine ortum ducentibus elocare nolle, Iud. XXI, 1. qui tamen Jabesenorum filias virgines adduxerunt, et consilium, de rapiendis virginibus Siluntinis dederunt. * Et quem latet? Petrum abnegationem optimi sui servatoris iureiurando adseverasse, teste Matth. XXVI, 72. 74. Herodem quoque, alteram regni partem Herodiati hac fide promisisse auctor est Marcus c. V, 23. Neque pluribus horum iuramenta recensere pretium esse arbitror, cum tanta in luce haec versetur res, ut a nemine unquam vocari possit in dubium. Temperare tamen mihi vix possum, quin et caeterarum quoque personarum iurantium mentionem iniiciam, ne praetermisisse aliquid iure videri queam, quod ad illustrationem argumenti pertinere queat. Et ad Laicos non tantum hanc consuetudinem adstrictam fuisse, sed a viris cultui rebusque sacris addictis saepissime comprehendemus usurpatam.

§. V.

* Ingens apud Scriptores I. N. de hoc iuramento est divortium, ubi GROTIUS l. c. et PUFFENDORFF. eosdem excusare volunt, eandemque in rem iuramentum Aureliani Imp. adducunt, qui cum iurasset, se in urbe Thyana canem non relicturum, ea potitus, milites ad canes occidendos iussit discurrere cum tamen iuramentum istud in furore irae proferentis Aur. haec sententia fuerit: re omnes homines in eadem urbe occisurum. Ita quoque ex verbis Israelitarum non sine veri specie colligitur, intendisse ipsos tribus Beniaminiticae excidium, eoque fine iuramento se obstrinxisse, ne, si qui forte effugissent, quisquam filiam suam eis nuptui, collocaret, nec hoc modo instaurari tribus ad incitas redacta posset. Vid. *Thomasii* Jur. Div. lib. II. c. IX. §. 52. CLERICUS in Com. ad h. l. et *I. F.* BUDDEUS Theolog. Moral. p. 722.

§. V.

Ut enim taceam, ipsum Pontificem V. T. summum, cum in sanctum sanctorum magno expiationis festo, die X. mensis Tisri, ad omnia totius populi peccata sanguine victimarum expianda, mitteretur, a legatis synedrii magni adiuratum fuisse, ut ministerium expiationis omni fide et industria peragere vellet, et hac ratione ab omni fraudis et doli suspicione fuisse immunem; * Quam plurimi vero ex reliquo sacerdotum numero solemni hac veritatem confirmandi consuetudine sunt usi. Quo pacto magna horum cohors Esrae sacerdoti summo, iureiurando adseverabant, se nolle amplius extra gentis religionisque suae terminos accersere uxores, Esr. X, 5. Memorabilis praeterea hebraeorum solemni formula se obstringentium Nehem. X, 24. sistitur nobis locus, ubi illi, qui ex sacro hoc ordine a lege defecerant, svasu hortatuque Nehemiae ad saniora redacti, pœnitentiamque agentes, firmiter fratribus suis, primoribus scilicet, sacramenti religione contestabantur, ambulaturos se fore in lege divina, omniaque praecepta Jehovae observaturos; quorum in numero fuisse cum reliquo populo, etiam sacerdotes, levitas, ianitores, musicos et nethinaeos, paginæ sacrae testantur, omnes quippe iureiurando sese obstringentes, quod etiam exsecrationis formula, in transgressionis notam et casum addita, fuit ratum; ubi enim fœdus vel pactum, ibi etiam plerumque est execratio in casum perfidiae. conf. Gen. XXVI, 28. Num. V, 21. Deut. XXIX, 11. 12. 13. Ezech. XVII, 13. Dan. IX, 11. Eodem vere modo, sacerdotes iuramento confirmabant, nescire se, quorsum Maccabaeus, a Nicanore tantopere quaesitus, se recepisset, II. Macc. XIV, 32. quibus tamen, nisi eundem vinculis constrictum in manus tanti tyranni traderent, templum et altare funditus eversurum, Bachoque consecraturum, comminabatur. Ast, iurantium personarum nec finis nec modus erit, quapropter exempla haec adducta dictis facile fidem conciliare poterunt. Ante vero quam ad reliqua pergam, et hoc notandum arbitror: mulieres, iuramenti religione in codice sacro sese obstrinxisse, nuspiam inveniri; cuius rei causae, cum omnes sacrarum antiquitatum scrutatores lateant,

* Vid. summe reverend. sacror. nostrorum Antistitis D. Sal. Deylingii Observ. S. P. I. p. 370. edit. noviss.

teant, neque rem ipsam viderint, vel observatione iudicarint dignam, et ego certi quid definire non audeo. Putarem tamen, non minimam huius facti caussam fuisse, innatam quasi mulierculis hebraeis, et usitatam verecundiam, quas minime, ut nostris temporibus fieri saepissime adsolet, ad omnia, quaecunque in buccam venerint, vel sancte adfirmanda, negandaque, quod virorum interdum non ultimum esse vitium consvevit, fuisse proclives, antiquitatum monumenta edocent.

SECTIO III.
DE FORMULIS IURANTIUM.

§. I.

Formulae nunc excutiendae veniunt, quibus in iuramentis hebraei olim utebantur, quarum rationem breviter, si in tanta rerum copia potest, exponam, neque immerito a formulis iurandi divinis facturus initium. Quanquam autem non una eademque formularum divinarum, est ratio, in re tamen ipsa convenire certissimum est. Consveta vero *Patris* formula חי אני vivens ego, vel vita ego sum, quod Rom. XIV, 11. redditur ζω εγω, vel Deut. XXXII, 40. חי אני לעלם vivo ego in perpetuum. Hinc homines per maiorem iurantes, dicere solent: quam vivus est Jehovah; Ruth. III, 13. I. Sam. XIV, 39. 45. i. e. tam verum hoc est, quam Jehovam vivere et existere verum certumque est. Plura dabunt huius generis formularum exempla: Num. XIV, 21. 28. Esai. XLIX, 18. Jer. XXII, 24. XLVI, 18. Zeph. II, 9. nullibi autem crebrius, quam in Ezechielis vaticiniis repetita leguntur: Cap. V, 11. XIV, 16. 18. 20. XVI, 48. XVII, 16. 19. XVIII, 3. XX, 3. 31. 33. XXXIII, 11. 27. XXXIV, 8. XXXV, 6. 11. Omni autem iure sic Deum iurare posse, neminem unquam inficias ire posse credo, qui scilicet omnis vitae fons ipse est; hinc quoque Patri, Io. V, 26. Filio, Io. I, 4. C. XIX, 25. XIV, 19. et Spiritui Sancto. Rom. VIII, 3. vita proprie tribuitur. Quum vero in creaturis vita sit vel *vegetativa*, quae ad adquirendum plenum robur, propagandamque speciem pertinet, vel *sensitiva*, qua proficuum a noxio discernunt, vel *rationalis*, qua se ipsos determinant, ad sic vel aliter agen-

vita dum :/in Deum ens tanquam perfectissimum, non nisi perfectissima vitae species quadrare potest; vita nimirum *rationalis*, quae re ipsa nihil aliud est, quam essentia eius; quatenus intelligit, vult et operatur, vel quatenus a nobis concipitur, tanquam a se actuosa. Si itaque Deus dicit: *quam vere vivo*, per admirandam *συγκαταβασιν* pronunciat: *non ero* vivus verusque Deus, vel patiar, ut omni divinitate exutus, in numerum idolorum, vita ac natura carentium divina, detrudar, si res aliter ac dixero, habuerit, vel promissis *meis* non stetero. Quum autem fieri non possit, ut Deus divinitate sua exuatur, adscribaturque idolis, fieri etiam nequaquam potest, ut quacunque in re mentiatur, aut verborum illius veritas eorumque strictissima observatio unquam deficiat.

§. II.

Non semper tamen hac formula usus est *Pater* sed aliae adhuc supersunt, quibus veritatem confirmasse legimus, quae non minus tamen, ac vita, ad essentiam eius pertinent. Ita enim בנפשו *per animam suam*, h. e. ex hebraeae linguae indole per se ipsum iurasse dicitur. Ier. *LI*, 14. quemadmodum *Syrus* interpres, Ebr. VI, 13. *ωμοσε καθ εαυτε*, reddit, per animam suam. Per שמו הגדול *nomen suum*, illud magnum Ier. XLIV, 26. porro, בימינו ובזרוע עזו, h. e. *per dextram suam et per brachium roboris sui*, seu omnipotentiam suam. Es. LXII, 8. Per קדשו praeterea, seu *sanctitatem suam*, Amos IV, 2. Ps. LXXXIX, 37. *Omnipotentia* enim eius et *sanctitas* essentiam eius constituunt, et per *nomen* eius, omnes essentiae divinae perfectiones, per quas ille nobis innotescit, intelliguntur, ideoque promissionum minarumque suarum executionem cum hisce necessariis naturae suae attributis connectit, publiceque testatur, se hoc vel illud, aut bonum ecclesiae procuraturum, aut malum hostibus inflicturum; vel si non faciat, intercedere nolle, quo minus sanctus et omnipotens, adeoque verus Deus esse negetur. Recte itaque homines, si veritas eorum dubia et incerta est, ad Deum iurando recurrunt, primam ac summam veritatem, omnisque veri ac recti fontem. Hinc iuramentum est *περας πασης της αντιλογιας*. Ebr. VI, 16. *seu medium, per quod omnis contradictio finiatur*, ita ut non amplius dicere in iudicio liceat, rem non esse veram; quandoquidem res ei commissa est, qui veritatem tutam

et se-

et securam, praestat, quoniam ipse veritas est. Quicunque vero per se iurat, is se non opus habere docet, ut suae fidei aliunde conciliet auctoritatem, quia ipsius natura suprema veritas continetur. Ex quibus itaque hoc merito concluditur: iuramenta, quae Deus per se ipsum concipiat, summae et independentis divinitatis infallibilem constituere caracterem.

§. III.

Et huius indolis etiam filii Dei sunt iuramentorum formulae, ut per se ipsum illas concipit, quemadmodum ex Gen. XXII, 15. 18. Ies. XLV, 22. 23. iam supra demonstratum est; adeoque hac etiam in re id egit, quod patrem vidit facientem. Si vero quis excipiat: eundem Dei filium, servatorem optimum, qui sponsus ecclesiae audit, non raro etiam per creaturas iurare, ut Cant. II, 7. *per capreas et per cervas agri, Hierosolymorum filias adiurat*; illi respondeo: I) hoc aliisque in locis non brutas capras, sed pro stili huius cantici allegorica indole, animas fideles, veram spiritus libertatem agilitatemque adeptas, sibique carissimas, sponsum intelligere. Neque enim Chaldaeo interpreti heic subscribere possum, nomen quippe צבאות cum nomine Dei אלהי צבאות *Deus Zebaoth*, seu *exercituum* confundenti et vertenti haec verba: *Adiuro vos dixit Moses ad Israelitas per dominum Zebaoth per virtutes terrae Israel.* II) Adiurandi haec formula, in stilo hoc poetico non proprie accipi, sed ut omnia fere, improprie debet, pro obtestari, et nunquam revocanda voluntate aliquid exposcere aut imperare, ut sensus talis emergat: * *per animas mihi carissimas, quibus ego solus impero, perque earum salutem mihi pretiosissimam vos adhortor, ac*

* Quia cervae tam sollicitam curam gerunt, ne hinnuli, quos in suis habent lustris, excitentur e somno et turbentur, ut Xenophon in Cynegetico amplissime descripsit, in exemplum eos proponit Christus, per sponsum in hoc libro intelligendus, non sine eleganti verborum sono, cum a fidelibus iuramentum exigit. Adiurare autem hoc loco idem est ac obtestari. Ita enim DONATUS in *Andriam Terentii Act. I. sc. V. obtestatio*, inquit, *dicitur*, *quando eum adiuramus, quem rogamus. Oramus per eas res, propter quas rogamus.* Adeoque cum QUINCTILIANO iuramentum hoc dici queat, *non recto sono iuratum. Instit. Or. lib. XI.* et HERMOGENES obtestationes has ad *μεθοδον της λαμπροτητος*, *seu splendidam orationem refert*; *de formis Orator. lib. I. c. IX.* et praeter alia bene observat CASP. LAURENTIUS in eadem HERMOGENIS

*velut sub iurata vestra fide, iustissimaeque poenae comminatione vos obstringo, ut sponsam meam libertate et quiete sua spirituali, ipsi divinitus concessa, gaudere sinatis.** Ita non opus erit, cum NOLDIO, *Concord. Part.* p. 44. eadem verba vertere: *vos quae apud capreas, vel inter capreas et cervos versamini;* aut *una cum capreis vos adiuro*; quia usitata particulae ב significatio ista versione deseritur, neque sic etiam omnibus difficultatibus paratur remedium.

§. IV.

A creatoris omnium rerum ad creaturarum iurandi formulas nunc progredior, illasque variis modis, pro diversitate subiectorum conceptas deprehendo, quas tamen ut ordini inhaeream, in duas quasi classes distinguere, incongruum non erit, quarum prior, *legitimas* iurandi notiones, *spurias* vera enarrabit altera. Ante vero quam id fiat, leges formulasque ab ipso Numine praescriptas in medium producere, non abs re esse iudico, ex quibus adulterinus, a genuino iurandi modo, eo facilius intelligi potest. Permissa au-

verba: *Obtestationes quae fiunt per prosopopoeiam, vocantur quidem* ὅρκος, *generali nimirum significatione hujus vocis, quo quicquid est sacrosanctum significatur: sed proprie non sunt obtestationes iuramentum, nec morale nec forense, &c.* Sic DEMOSTHENES in Orat. de Corona: *per eos qui ad Marathonem occubuere pro patria; vos obtestor, adiuro, compello. Passim pathetice usurpantur ista ab omnibus scriptoribus non tantum Oratoribus, sed etiam Poetis.* Ad rem tamen si accedamus, facile mihi persuadeo, adiurari ecclesias a Christo, per id; quod sibi ipsi erat carissimum, uti pastoribus tunc cervi erant & hinnulli; adiurati itaque sunt a Christo per amorem suum erga electos, quos mitibus hisce animalibus felle carentibus comparat. Adeo ut per se ipsum iurasse dicendus sit, qui per amorem suum iurat aeternum. Nulli tamen refragabor si anteriorem sententiam accipere et tueri velit. Vid. LYDII *Diss. de iuramentis p. 305.* Adeo Cl. *I. H.* MAIO f. subscribere mutata tamen paulisper sententia non dubitamus, qui in Obs. Sacr. p. 16. n. V. in Cant. III, 5. vere iuratum fuisse existimat, illudque ex veterum amantium ritu esse depromendum, quo illi per id, quod valde amare solebant, iuraverint; sententiamque suam ex Apulei. lib. II. metam. et Aristaeneto lib. II. Ep. 9. *Longo* aliisque probare satagit, et tandem ex his concludit: quemadmodum olim pastores hoc facere consveverint, ut per capras, hinnulosque sibi carissimos iurassent, ita etiam Canticum ex hoc pastorali vivendi modo explicandum esse.

* Sunt verba venerand. MICHAELIS *in Annotation. Uberior. in Hagiograph. T. II. p. 612.* et b. RAMBACH. *in diss. de I. C. summa divinitate ex iuramentis per se ipsum demonstrata. Hal. MDCCXXX.*

sa autem non tantum Israelitis fuisse iuramenta per longanimitatem Iehovae, vel ex Lev. V, 4. Deut. VI, 13. patere potest; *quum quispiam iuraveri effutiendo labiis suis, se male aut bene facturum, statim addit remedium, quo reatum* hunc expiari queat; *ovem quippe aut capram lactentem*; *tunc expiatos a sacerdote* certissime cum Iehovah credere poterant. Quippe quod tanquam symbolum et criterium infallibile, religionis verae, *Iesaias c. LXV, 16.* suppeditat, ut qui benedicturus est in terra, benedicat sibi per Deum veritatis et *iuraturus* in terra, *iuret* per Deum veritatis. Accedebat his etiam lex, ut si necessitate coactos se viderent, iurare deberent omnino. Ita enim Deut. VI, 13. *Iehovam Deum tuum timeto, et ipsum colito, et per nomen eius iurato*, quæ eadem facile verba, cap. X, 20. repetita legimus; ut alia Numinis mandata, de non iurando frustra aut mendaciter data, iam taceamus. Hanc vero legem Israelitas ad iuramenta sua omnia Iehovae tantum nomine interposito, concipienda et confirmanda devinxisse, neminem facile repugnaturum confido, qui legislatoris N. T. optimi quippe soteris oraculum, Matth. V, 34. his contulerit. Tantum enim abest ut patri hoc in loco contradicat filius, ita suis praecipiens: *εγω δε λεγω υμιν, μη ομοσαι ολως, μητε εν τω ουρανω κ. τ. λ.* quibus non omnem iurandi usum, legitimum quidem dissvadet, sed abusum, aut per idola, aut alius generis iuramenta interdicit; et ut aliorum sententias a S. R. WOLFFIO * adductas nunc taceam: Aristarchi illius summi, HEINSII scilicet, perplacet sententia; qui, sublata interpunctione, vocem *ολως*, non ad *ομοσαι*, sed ad sequentia, *μητε εν τω ουρανω*, referri vult, ut proinde non omne iuramentum, quod scilicet per Deum fiat, sed id tantum, quod per coelum aut alias creaturas, eodem capite enarratas, hic prohibeatur. Quamvis non negem *Seb.* SCHMIDII opinionem ** ven. WOLFFIO quoque adprobatam, suo fundamento non destitui, qui *το* jurare, idem hic esse putat, quod falso jurare, sicut Iudaei in *Tractatu Schebhuoth* c. V, l. 4. 5. verbo simplici iurare pro *επιορκειν* utuntur, quae etiam notio esse videtur Matth. XXIII, 16. qui iurat per aurum templi. (i. e. falso) debet, seu reus est; hine, *non iurabis*, idem est ac, non pejerabis, ×

C 3 seu:

* In curis Philologic. et Crit. in Ev. p. 105. ed. secundae, et *Io.* VRIMOET in V. priora Capp. Math. L. B. 728. p. 124. sqq.

** In fasciculo disputationum p. 639. sqq. Francof. 1699. Disp. III.

seu: non iurabis per nomen Domini Dei falso, Lev. XIX, 12. ut iidem recutiti periurium, seu iuramentum fallendi animo conceptum, si per templum, altare et reliq. factum esset, pro periurio non habebant. His itaque confirmat Christus: etiam illas iurandi formulas obligare hominem, adeoque ab iis, omnique periurio esse abstinendum. Legitimorum vero iuramentorum obiectum solum esse, olimque fuisse Iehovam; vel solo Iesaiae loco iam supra adducto probari potest. c. XLV, 23. Huic mandato etiam pressius insistere studuerunt, quicunque in gente Iudaica, genuinos inter Iehovae cultores locum sibi vindicabant, praeceptaque eius, ea qua poterant, per imbecillitatem innatam, diligentia, et studio, prosequebantur. Plurimae autem enatae sunt formulae, quibus testem veritatis Iehovam indicare et profiteri solebant: Sic Abimelech Abrahamum adlocutum fuisse, Gen. XXI, 23 traditur: *nunc itaque iura mihi per Deum*, cui ille etiam id praestitit. v. enim 24. dicitur: et Abraham dixit: *ego jurabo*. Signum porro conservationis suae postulans Rahab ab exploratoribus, dixit: nunc itaque mihi *iurate quaeso per Iehovam*. Ios. II, 12. et Israelitarum turba, Iud. XXI, 7. nos inquit: *iuramento obstrinximus per Iehovam*. Ita aegyptius quidam vir Davidem, hac quoque formula sibi obstringebat, dicens: *iura mihi per Deum, te non adfecturum me morte*. I. Sam. XXX, 15. Eundem Davidem rogabat Saul, *ut iuraret sibi per Iehovam*, eum semen suum non exscindere velle post suam mortem. I. Sam. XXIV, 7. Sic coram Davide Joabus iurat per Iehovam, II. Sam. XIX, 7. Sed horum nec numerus nec finis est, adeoque his enarratis, ad reliquas pauloque immutatas iurandi formulas, pergamus necesse est.

§. V.

Per *nomen* enim *Iehovae*, interdum etiam iurasse, quod tamen unum idemque esse, certum est, liquet ex Ies. XLVIII, 1. ubi Iehova gentem suam ita adloquitur: *audite hoc domus Iacobi, qui vocant se de nomine Israelis, et ex aquis Iehudae prodierunt, qui iurant per nomen Iehovae*. Aliud per nomen Iehova Zebaoth occurrit exemplum Ies. XIX, 18. ubi divino spiritu agitatus vates ita praedicit: *tempore illo erunt quinque civitates in terra aegypti, loquentes sermone Cananaeo, et iurantes Iehovae exercituum*. Neque minus

minus ſolemnis erat veritatem adſtruendi modus *per vitam Iehovae, et quam vere vivit Deus.* Ita Saul Ionathani de conſervando Davide iurat, dicitque: *ut vivit Iehovah,* non adficietur morte, I. Sam. XIX, 6. quam paulo aliter conceptam profert hanc formulam rex Zedekias, Ieremiae clam dicendo: *vivens Iehovah, qui fecit nobis animam hanc,* ſi morte adfecero te; ut eſt Ierem. XXXVIII, 16. Eundem teſtem inculpatae vitae et innocentiae ſuae adverſus inimicorum inſultus invocat Iobus C. XXVII, 2. *ut vivit Deus fortis, qui ſummovit cauſam meam, et omnipotens, qui amaritudine afficit animam meam.* Tantum tamen abeſt, ut Deo, rerum omnium vindici, haec iuramenta ſemper, quamvis per nomen eius concepta, placeant; ut potius maiorem in modum hac de re iratum ſeſe praebeat ſaepiſſime. Hinc per Hoſeam perverſam illam religionum συζυγιων gravi ſermone excutere exterminareque iubet Cap. IV, 5. qui Gilgalem quidem, publicae impietatis locum cap. IX, 15. vocat, quare haec loca, publica tanquam ſcorta, adſcendere acerrime vetat, profligata nimirum procul omni cordis in Deum fiducia, idolorum ibidem hoſpites excitari et convivae, eamque ob cauſam addit: *neque tum iuretis, quam vere vivit Iehovah,* * ſummus is et unicus rerum arbiter et vindex: veluti ingens mei apud vos eſſet veneratio, quum per nomen meum iuramenta veſtra concipiatis. His itaque permotus cauſis, prorſus interdicit illis Numen in nomine ſuo iurare, quandoquidem nec iuſto loco, nec recto tempore, nec tandem rerum gravitate, ob quas iurare ſolebant, fuerant prolata. ** Plura adhuc alia loca in medium proferre, ſi opus foret, poſſemus, niſi nunc ad reliqua iurandi genera, properandum eſſet.

§. VI.

* Vid. TARNOV. Comm. in h. l. p. 194. add. *Druſium* in Comment. in Proph. min. ad hunc locum p. 89. *eiusd.* Proverbia lib. II. cap. I. II. adag. 39. et *Io. Aug.* BONITII diſſ. de εγκρυφιαις Veterum, Lipſ. 720. §. VI, p. 12. et b. WERNSDORFFIUM *in de Indifferentiſmo religionum* commentario, Witteb. 716. 8.

** Vid. maxime rev. WEISII noſtri iunioris *de iureiurando in Dan et Beerſebae viam Samaritanis ſolemni, periculum philologicum,* Lipſ. 728. ubi copioſius haec pro more, ut omnia ſolet, i. e. doctiſſime perſequitur.

§. VI.

Quibus igitur per nomen Iehovae iurare non satis erat, * omnia mala sibi evenire vovebant, et imprecabantur, ut sibi ita faciat Deus, et sic addat etc. Hunc enim in modum, I. Sam. XIV, 44. haec loquendi ratio occurrit, ubi Saul populum Iudaicum adiuraverat, neminem comedere quidpiam debere. Idem vero populus, cum die quodam fame et siti premeretur, quia execratione tali adstrinxerat eosdem Saul, dicendo: *maledictus vir ille esto, qui comederit cibum ad vesperam usque, dum ultionem sumsero ab inimicis meis*, neque etiam quemquam e gente hac, excepto Ionathane, cibum degustasse legitur; perveniente enim hoc in silvam quandam, ubi mel erat in superficie agri, ecce Ionathan, qui non audierat adiurationem patris; extendit baculi sui extremitatem, intinxitque in favum mellis et comedit de ea; quod facinus, in malam partem pater accipiens, respondit ei: *Ita faciat mihi Deus et ita pergat, nam omnino moriturus es Ionathan.* Iuramentum hoc *Roeslerus* Diss. c. de re illicita recte vocat, cum nulla proportio inter violationem huius legis, qua publica salus potius impediebatur, quam promovebatur, et inter poenam crudelissimi supplicii intercedere videbatur, adeoque ignorantia Ionathanis invincibilis a lege hac positiva et imputatione omnino liberare poterat. Neque disciplinae militaris rigor hic aliquem offendet, qui quippe locum non habet, nisi penes eos, qui leges scientes volentesque violare non erubescunt. Eodem modo Benhadad, execratione nuncios conjurat, dicens: Sic faciant mihi Dii, et sic pergant. I. Sam. XX, 10. Interdum quoque haec formula subintelligenda obvenit, ut Gen. XIV, 23. Abrahamum dicere voluisse omni dubio caret: *Extuli manum meam ad Iehovam, si vel filum vel corrigiam calcei capiam; tunc Dominus mihi ita faciat, et ita addat.* Certum autem est, hoc aut eiusmodi quid tacite subintelligi, facitque ut prius sonet negative, ac si dixisset: iuravi me non capturum quid-

* Nominis huius pronunciatio partim ex superstitione partim aliis de causis intermissa fuit, ut docet BUXTORFFIUS in *Diss. Theol. Philolog.* Diss. V, p. 259. et Cl. REINECCIUS Dissertt. de voce יהוה Lips. 700. Quam ob causam loco eius adhibuerunt הכינויים s. *cognomina divina*, ut docet MAIM. in More Nebhochim P. I. c. LIX. et LXI.

quidquam. * Alia quoque huius generis iurandi formula invenire licet, I. Sam. XX, 15. et XXV, 22. ubi David ait: *Sic faciat Dominus hostibus Davidis, et sic addat.* Variis mirisque modis haec loca ab interpretibus explicata inveniri negandum non est. ** Pro more hebraeorum Davidem hic loquutum fuisse venditat KIMCHIUS, recepissimamque iurandi formulam fuisse adfirmat. R. *Sal. Iarchi* contrario, perobscure ista explicat cum pro diversitate casuum, in quibus haec formula adhibeatur, variare existimat, et quid hic alibive intelligendum sit, in antecedentibus textus esse quaerendum, ex quibus id haud difficulter colligere detur. Atque hinc ad Ruth I, 17. ubi hic loquendi modus etiam occurrit, ita commentatur: *Sic faciat mihi Deus; quemadmodum incepit damno afficere, quando exivit super me manus eius, occidendo virum meum et dejiciendo de possessionibus meis; sic addat, si quidquam praeter mortem nos ab invicem segregaverit*; h. e. si alia res separationem te inter et me fecerit, praeter solam mortem, Deus hoc vel illud malum mihi infligat. conf. Matth. XXVI, 35. *** Paria adfert KIMCHI ad I. Sam. III, 17. *Sic faciat tibi Deus, ut quemadmodum mihi desunt filii, dignitatis meae haeredes, ita et tibi desint filii tuae dignitatis haeredes.* Quamvis vero negari nequeat, hanc interpretationem alicubi commode satis adhiberi posse; quodsi tamen eandem in omnibus S. S. locis, in quibus haec phrasis occurrit, adhibere velimus, vereor ne interdum haereat aqua, vixque sit quod ad I. Reg. II, 20, 23. etc. respondere queamus. Ut aliorum sententias mittam, mihi eorum praeferenda videtur, **** qui in eiusmodi formulis αποσιωπησιν mali, quod iurantes: aut iudicio committebant divino, quod acerrimum cognoverant periurii vindicem, quodque poenas sat graves fallenti inflicturum sit, si maxime hostem permiserit ipsius arbitrio, et vindictam eius terminis saltem generalioribus in se provocaverit; aut si ipsi malum intelligebant, subticebant tamen, vel circumscribebant potius per ευφημισμον, tum boni ominis gratia, ne scilicet, quae imprecabantur, revera eveniant; tum etiam, quod a natura abhorreat, sibi ipsi dira imprecari.

* Vid. GOODWINI *Mos. et Aaron.* p. 582. ed. Reizii.
** Vid. *Critic. Anglor.* Tom. I. fol. 1281. ed. Francof.
*** Vid. vener. MICHAELIS *Annot. Uber.* Vol. II. p. 742.
**** Vid. REIZII not. ad *Goodwin Mos. et Aar.* p. 583.

cari. Tanta enim apud hebraeos iurisiurandi erat sanctimonia et verecundia, ut, quotiescunque honesta haec execrationis circumscriptio inveniatur, membrum istud iuramenti, quod infausta haec in se continet, plane sit omissum, manifesto indicio: has iuramentorum formas, prout in scripturis occurrunt, * non tam scriptori, quam religioni iurantium, suam debere originem, ut exemplo Abrahami iam adducto, collato Ierem. XXXVIII, 16. omnibus patebit.

§. VII.

Quamvis vero sequentibus temporibus, Iudaei valde frequentarent iuramenta, quorum genera quamplurima BUXTORFFIUS in *Lexico Talm.* fol. 247. adfert, in imprecationibus tamen erant parci, etsi loca quaedam inveniri non negemus, e. g. *eveniat mihi hoc vel illud, ego nescivi, et eveniat super me nisi audivi &c.* qualis loquendi modus, cum iis, qui in codice sacro reperiuntur, belle conspirat. Hoc autem peculiare heic quid esse certus sum, in antiqua illa locutione, quod, cum iuramento se obstringentes, alias duri quidpiam, si fallant, in se suscipiant ferendum, hic David, illud non sibi, sed inimicis imprecetur. Mihi itaque, salva tamen aliorum hypothesi, palmam praeferre videtur illorum expositio, qui dicunt: inimicos Davidis positos esse pro ipso Davide ad emolliendam imprecationem, quam in se ipsum intorquere insanum videri possit. Praeterquam enim, quod in orationibus eiusmodi infaustis, ne in nos aliosve, qui nobis curae cordique sunt, fiamus iniurii, per ευφημισμον, verba malum includentia supprimuntur, aut saltem per ambages indicantur, insuper eadem elegantia, haud raro eorum oppo-

* Eiusdem argumenti erat iuramentum Iorami regis, qui eodem ac Saul de re illicita, audito incolas Samariae a rege Syriae obsessos, rabida fame ad proprios liberos mactandos impelli, has adversus pium et innocentem Vatem minas spargere non dubitabat: *Sic faciat mihi Deus et sic addat, si steterit caput Elisaei filii Saphat super ipsum hodie.* Quae verba non in eleganti commentatione illustrat L. Osiander, dicens: Deus me male perdat, nisi hodierno die Prophetam decollari curavero; Oder Gott schänd mich, der Kopf muß ihm noch heut herab, und wenn er stählin wäre. Mutaverat autem scelestum hoc consilium rex, vel agnita consilii temeritate, vel principum seniorumque persuasionibus, constat enim executionem iniustae sententiae secutam non fuisse.

opposita adhibemus, aut etiam in locum personae, in quam dirae tendunt, substituimus quidpiam, ei plane adversum. Prioris generis, in variis S.S. occurrunt locis, ubi Deo benedixisse dicuntur, qui tamen blasphemarunt. Recte enim VATABLUS: * veteres adeo a blasphemia abhorruisse dicit, ut ne nominare quidem auderent. Huc et illa pertinent iuramenta in *Talmude* saepius obvia: *Videam consolationem, si non occidi testem falsum.* Item: *non videam consolationem nisi vidi quendam persequentem proximum suum*; in quibus hunc esse sensum: non videam consolationem, multis argumentis probat BUXTORFFIUS c. l. Posterioris vero modi, antiphrasin in his Davidis scilicet §. anteriori adlatis verbis, ipse agnovit *R. D.* KIMCHI, quando scribit: *inimicis Davidis*, i. e. *ipsi Davidi.* vid. SANCTIUS in I. Sam. XX, v. 12. Constat autem, inter Iudaeos nec hodienum istam cessare consuetudinem, a qua ne quidem in libris suis germanicis sibi temperant, ut, de filiis Israel infausta quaedam aut narraturi aut praedicturi, nisi vulgare suum חס ושלום interponant, nec tamen haud raro pro illis שונאי ישראל substituant; id quod, si quidem ulla flagitaret ratio, multis probatum dare possem argumentis. ** Quo ipso magnum huic sententiae additur fulcrum, quandoquidem natura abhorremus ab imprecando nobis malo, ne in se ipsum itaque iniurius videatur David: eleganti apud suos recepta, et ad posteros usque propagata consuetudine, loco proprii, inimicorum adhibuisse nomen, probabile videtur. His denique accedit, quod eiusmodi ευφημισμον istic latere, dudum agnoverint interpretes antiquissimi. Ita enim LXX. verba haec Davidis transtulerunt: ταδε ποιησαι ο Θεος τω Δαυιδ και ταδε προσθειη, ει υπολειψομαι εκ παντων των του Ναβαλ εως πρωι, κ. τ. λ. *Etiamsi enim Biblia Complutensia* XIMENII, *et Opus Regium* ARIAE MONTANI, habeant τοις εχθροις Δαυιδ; tamen editio των LXX. quae SIXTI V. *Pontificis* cura ad limam MSS. Bibliothecae Vaticanae MDCLXXXVII. Romae prodiit, et Biblia Polyglotta Anglicana, cum aliis constanter legunt τω Δαυιδ. Pari modo quoque SYRUS verba, in quibus sumus occupati, reddit: *Sic faciat servo suo David, Dominus.* Cum quo ad verbum Arabicam translationem quoque con-

* In Comment. in librum Iobi, cap. I. p. 6.

** Vid. BUXTORFFII *Synagogam Iudaicam* p. m. 687. EISENMENGERI Iudaismum detectum p. 519. et KIRCHNERI *Iüdisches Ceremoniel* p. 195.

conſpirare, viri docti obſervarunt. Quapropter, ut finem huic obſervationi imponam, non poſſum non huic ſententiae meum addere calculum, quod in hoc nimirum textu, eleganti tropo, pro ipſo Davide, eius inimicos poſitos agnoſcam. *

§. VIII.

Iuramento in gente iudaica porro admodum adfinis eſt *Adiuratio*, quae obteſtatio religioſa erat, cum interpoſito nomine et mandato Dei, imprecationi tali vel mandato vim addere valente, praecipue in dicenda veritate, aliquis ab altero, ſuperiore inprimis et poteſtatem obligandi habente, adigebatur, ut verum diceret, aut faceret id, vel omitteret, quod ab eo fieri vel omitti debuerat. Cuiusmodi etiam duæ inveniuntur ſpecies, quarum una per modum imperii erga inferiorem, fieri ſolebat: ut Abraham Eleazarum Gen. XXIV, 3. Iacobus, Ioſephum, Saul, populum, I. Sam. XIV. Achab, Michaeam, I. Reg. XXII, 16. et Caiphas Chriſtum ** Matth. XXVI, 63. adiuraſſe leguntur, cuius exemplum in fœmina adulterii ſuſpecta inprimis erat ſolemne, ubi coram Synedrio, ſacerdotem mulierem iſtam ita adlocutum invenimus: Deut. V, 21. ſq. Si declinaſti a marito tuo, det Dominus te in maledictionem, (quemadmodum contraria phraſis in exemplum benedictionis legitur Gen. XVI, 2) execrationem et iuramentum populi tui, adeo ut faciat Dominus corruere femur tuum, et inflari uterum tuum; ingrediantur aquae iſtae maledictae in viſcera tua, ut intumeſcat uterus corruatque femur tuum, et mulier his omnibus peractis, reſpondebat: Amen Amen. *** Num vero ultio divina illico periurium ſubſecuta ſit, Moſes equidem non docet, ex circumſtantiis tamen

* Vid. *Georg. Albert.* HAMBERGERI Diſſert. de iuramento Davidis ad I. Sam. XXV, 29. Theſ. Philolog. V. T. inſertam fol. 446. et Cocceji Excerpta ad Codd. Talmud. Sanhedrin et Maccoth c. IV. §. 18. not. I. Tom. VII. fol. XXX. Eundem in modum canit *Virgilius* Georg. III.

Di meliora piis erroremque hoſtibus illum.

** Vid. ven. RUSSII Harm. Ev. Tom. III. et Sagittar. Harm. in h. l.

*** Vid. PHILO de LL. ſpecial. ad VI. et VII. Decal. SIXTUS SEN. Bibl. S. lib. II. f. 312. ACOLUTHI Tract. *de aquis amaris.* WAGENSEIL ad Sota p. 365. DRUSIUS in Crit. Anglic. Tom. I. fol. 933. *Guil.* SALDENUS in *Otiis Theologicis* lib. I. Exercit. VI. p. 73. ſqq. SELDENUS de Synedriis lib. II. cap. VII. p. m. 118. et de I. N. et Gentium lib. IV. c. VII. p. 523. et *de Uxore he-*

tamen rem adficientibus, adfirmare nullus dubito. Rariſſima autem huius fuiſſe adiurationis exempla in gente Iudaica, non ſine veri ſpecie coniicere licet.

§. IX.

Liceat nunc conſuetam ex mente quam plurimorum iurandi formulam Amen, paulo curatius indagare, quam in veteris et novi foederis libris tam crebro invenimus obviam, et ab ipſo Chriſto quam ſaepiſſime uſurpatam. Nunquam tamen induci patiar, ut credam, iuramentorum formulis merito adſcribi poſſe. Quamvis enim non ſim neſcius quamplurimos eruditionis laude admodum conſpicuos viros * in hanc abire ſententiam: Chriſtum non tantum Apoc. III, 14. ſed multoties in Evangeliſtarum ſcriptis, veritates ſanctiſſimas hac formula, iuramenti inſtar, confirmaſſe; argumenta tamen eorum adeo lubrica ſunt, ut meo quidem iudicio, facile everti queant. Ut enim taceam Chriſtum nunquam habuiſſe opus iureiurando veritatem adſtruere, cum ipſe in ſummo perfectionis gradu ſit veritas, adeoque etiam nudis eius verbis, eodem iure quo iuramentis, fides haberi debeat. Concedamus autem: in V. T. iisdem uſum fuiſſe ut ex dictis iam ſupra clarum eſt, non tamen perſpicio, qua inductus cauſa non tantum unico, ſed duplici Amen Servator optimus, ſaepiſſime, apud Ioannem inprimis, res ſanctiſſimas adſeveraverit, cum a temerario iuramenti uſu abſolvi plane nequeat, ſi iuramentis ita adſvetum fuiſſe legamus. Quod enim FRANCISCUS NANSIUS nugatur, ideo illud Amen apud Ioannem geminari magis quam apud ceteros N. T. hiſtoricos, quia eum teſte HIERONYMO, poſtremus Evangelium ſuum ſcripſerit,

 pleris-

braic. p. m. 285. Doctiſſimus autem DOUGTHAEUS hunc ritum cum gentilium probationibus adulterarum doctiſſime confert: Analect. Sacr. lib. II. Excurſ. LV. p. 95.

* Vid. inprimis WAGENSEIL *in Sota* p. 319. et *I. T.* MAIOR et *Georg.* CRAUSERUS in diſſ. de Iurament. Orient. Ien. MDCXLVI. ARNOLDUS in notis ad eundem. *Io.* WEMSIUS in *expoſitione Anglica cap. IV. p.* 208. *Io.* NICOLAI in *diatrib. de iuramentis Hebr. Graec. Roman.* p. 113. *Georg.* CRAUSERUS in Phoſphoro N. T. p. 341. *Sam.* PETITUS in Variis Lection. lib. I. c. 17. VEIELIUS *Theolog. Ulmenſis* in pec. diſſ. de voce Amen. *Lud. de* DIEU ad Matth. V, 28. et hunc ſecutus b. CALOVIUS Tom. III. Bibl. Illuſtr. f. 186. DINCKELIUS in Or. de Lingu. hebr. n. 4.

plerisque aliis Evangeliorum conditoribus suo tempore non satis creditum animadverterit. Hinc duplici adfirmatione confirmasse Ioannem, quod ceteri fecerint tantum simplici. Verum hanc sententiam religio probare vetat, imo potius sacros historicos ita scriptis verba Christi mandasse, ut illa ipse protulit, neque Ioannem quidquam addidisse, nec pro simplici duplex Amen substituisse, ne culpae et poenae Apocal. XII, 18. commemoratae, foret obnoxius, credere par est. Io. praeterea WEMSIUS, ideo iurandi formulam esse contendit, quia ipse Deus dicatur Amen, h. e. veritas, id enim אמן hebraeis sonare solet. Hinc Amen si quis dicat, iurare per veritatem, i. e. ipsum Numen, quod sic vocatur Ies. LXV, 16. et Apoc. III, 14. Movisse quoque hoc *Iacob.* REVIUM arbitror, ut in notis ad L. VALLAE *collationem N. T.* ad I. Cor. XV, 31. scriberet: επ αληθειας, videri posse aliquam iurandi formam habere, Luc. IV, 25. Et quae *Sam.* PETITUS Var. Lect. lib. I. c. 17. operose satis in hanc rem collegit, aliquam sed non plenam probandi vim continere, quilibet emunctioris naris et ab partium studio alienus vir, facile perspicere potest. Omnium tamen industriam superavit *Io. Georg.* WEBERUS, veneranda dignitate admodum conspicuus, et sacrorum *Vinariensium Praesul*, in erudita hac de voce commentatione. * Sed, quod pace tanti viri dicere liceat: hypothesibus eius coetera doctissimis, non omnino permoveri potui. Quocunque enim modo, vel nominali, et cum aut absque articulo praeposito, vel adverbiali usurpatam invenimus hanc vocem, praeter adfirmandi et consentiendi significationem extri-

* Prodiit Ien. MDCCXXXIV. in 4. hoc titulo ο Αμην και το Αμην. s. Comment. Exeget. Theolog. in Amen Evangelicum, vel veritatem doctrinae Exang. iureiurando Christi confirmatam etc. Multa et praeclara immiscuit vir maxime reverend. scitu non indigna, quae ad rem tamen an adeo multum conferant; ego quidem fateor, me videre non potuisse. Ita enim Amen idem esse a Selah p. 22. et 23. et in N. T. vim voti habere, contendit p. 25. Ubi et mox in oratione dominica eundem sensum denegat, vid. p. 26. Eodem modo gratulationis sensum voci Amen adscribit, eodem porro valore esse ac Alleluiah, cum utramque vocem magis confessionis certissimaeque spei et plenissimae fiduciae causa adpositam sciamus. vid. §. V. p. 23. sq. Complura et alia huius generis occurrunt, quae quidem piarum meditationum et conjecturarum nomen, indubitatarum autem veritatum, fortasse non satis sustineri possent.

extricare possumus nullam. Nolo tamen rationes, quas equidem satis graves habere sibi persuadent, quicunque iuramentum sub Amen latere cogitant, iam sub incutem vocare, cum animus non sit nec instituti mei patiatur ratio conscribere contraversias. Negativam potius stabilire paucis cupio sententiam, ex quibus, si conferantur cum adfirmantium argumentis, facillime potest ferri iudicium.

§. X.

Ita vero Hebraeis, iisdemque linguae suae peritissimis, cum Chaldaeis, Syris, aliisque adseverationem nudam, certam tamen et indubitatam denotat; nihil quippe est *Amen*, ut eorum verbis utar, quam היקום המאמר וקיומו h. e. *corroboratio sermonis et confirmatio ipsius.** Hoc etiam sensu Ies. LXV. occurrit, *benedicat sibi per Deum veritatis*, h. e. qui vere omnique fide promissiones suas servat. Hinc transit iuxta BUXTORFFIUM l. c. in vocem *credentis*, *adseverantis*, *adsentientis*, *confirmantis* quod dictum et ore prolatum est, sive sit bonum, sive malum. Sic quoque ex praecedente §. constat: mulierem ob adulterium suspectam, confirmasse maledictionem, per repetitam vocem אמן אמן, vere vere fiat et ratum esto, quod dictum est. Eodem fundamento nititur b. *A.* PFEIFFERI sententia Dub. Vex. p. 947. quod si praecedat adiuratio, habeatur quoque pro iuramento, sin minus, negetur. Cui adstipulatur etiam *Christ. Dietericus* HALTERMANN in Diss. de formulis iuramentor. Iudaic. Rostoch. 1701. Ita quoque Num. V, 22. et Deut. XXVII, 15. ad omnes maledictiones respondere debebat populus אמן pro confirmatione; in eundem modum ecclesia iudaica ESRAE benedicenti respondebat אמן אמן Neh. VIII, 7. Duplicatio vero animi quoque adfectum duplicare solebat maioris quippe certitudinis causa. Et hoc pacto Ieremias vates optimum interpretem agit, dicens: אמן כן יעשה יי h. e. Amen seu vere sic faciat Dominus; quod Chaldaeus ita habet: אמן כן יהא רעוא מן קדם יי *Amen sic sit voluntas Domini.* Ier. XXVIII, 6. Ecquis vero his verbis iuramentum inesse adfirmaverit unquam? Et haec constans et perpetua ecclesiae iudaicae huius vocis acceptio fuit et significatio, ut pluribus demonstravit BUXTORFFIUS in Lex. f. 114. Quamvis enim in *Debbarim-rabba*, teste eodem, *R. Iehuda* dixerit: In voce *Amen* tres esse nucleos,

* Vid. FULLERUS lib. I. *Miscell. Theol.* c. II. p. 24.

eleos, h. e. ſenſus vel ſignificationes; *iuramenti*, *acceptionis vel acceptationis rei alicuius*, et *fiduciae*, res tamen eo redibit, ut iuramentum h. l. non ſtricte, ſed pro adſeveratione indubitata inviſtiſſimaque ſumatur, qualem praeterea uſum triplicem in Tract. *Schevuoth* ex tribus locis SS. probare amplius nituntur Cap. IV. f. 36. Et quando Moſes populo Deut. XXVII, 11 ſq. vel bene vel maledictionem proponit, ita ut ex monte Griſim benedictio, ex monte Hebal vero maledictio proveniret, et Levitae ad populum dicerent: maledictus, qui non praeſtiterit verba huius legis, faciendo illa, et totus populus reſponderet *Amen:* ecquis hac ratione iureiurando obſtrictum hunc populum fuiſſe a Deo diceret, cum toto die ſe periurii poenae reddidiſſet reum, neque a Deo unquam iusiurandum ſtricte ſic dictum ab hominibus fuiſſe poſtulatum, certiſſimum ſit. Unico adhuc teſtimonio uti liceat ſcriptoris apud hebraeos celebratiſſimi, rituumque gentis ſuae callentiſſimi, ſententiam noſtram confirmantis. Ita autem R. SAL. BEN MELECH in *Michlal Iophi* ad Pſ. XLI, 14. ſcribit: אמן לשון קיום h. e. *Amen ſignificat confirmationem*. Et huius generis quamplurima conſarcinare poſſemus, ſi veritas numero argumentorum ponderanda eſſet. Confirmant et veterum hodiernorumque Iudaeorum preces ſolemnes et privatae, quas hac formula, fiduciae tanquam certiſſimae indice et ſigno, finire conſueverunt. * Neque Chriſtum alio ſenſu hac voce uſum fuiſſe, diligens ſcriptorum de rebus eius geſtis commemoratio aperte demonſtrat. Ubi enim apud unum horum occurrit αμην, eadem vox ab altero redditur αληθως. Ita Matth. XVI, 28. Αμην αμην λεγω υμιν, Luc. IX, 27. effertur: λεγω δε υμιν αληθως, quamvis b. Lutherus eandem interpretationem ac in ſuperiori Matthaei loco, hic etiam retinuerit. Eundem in modum Marc. XII, 43. Αμην λεγω υμιν, Luc. XXI, 3. αληθως λεγω υμιν, Luthero eadem vocula **warlich** ac in priori, minus accurate retenta. Videtur autem Lucas de induſtria uſurpaſſe αληθως, ut ελληνικοτερον και σαφεστερον loqueretur, et ut e. g. C. IV, 24. 25. vim huius voculae dilucidius explicaret. Atque idem alibi ſaepius αμην primum et deinde επ αληθειας, tanquam voces plane ſynonymas εκ παραλληλου adhibet; ut prior poſteriore declarari, et linguam hebraeam igno-

* Vid. ſ. r. WOLFFIUS in *Curis ad Ev. Matth. VI, 13.* p. 134. ed. II.

ignorantibus dilucide exponi possit. Eadem ισοδυναμια reperies in αμην cum Graecorum ναι ab optimo Sotere coniuncta; qui de vindicta prophetarum caedis Matth. XXIII, 36. Amen usurpavit, Luc. XI, 51. vero, eadem de re sermonem faciens, adverbio ναι loco amen usus est. Ita quoque Apoc. XXII, 20. ναι et αμην εμφασεως caussa coniuncta, quemadmodum Rom. VIII, 15. Pater et Abba conduplicata leguntur. Unde certissime constabit, geminatum illud ναι Matth. V, 37. et Iac. V, 12. cum toties a Ioanne usurpato αμην αμην certissimam firmissimamque adseverationem denotare, quae tamen a iureiurando longissime distat.

§. XI.

Fingamus itaque, pro vera ac genuina iurandi formula a Scriptoribus fidei salvificae acceptam fuisse particulam amen; nonne etiam necesse fuisset, ut ab reliquis omnibus, Luca inprimis, repeti debuisset? quod tamen neque Matth. XIII, 57. neque Io. IV, 44. factum, inter omnes constat. Ut nihil iam de loco Paulino I. Cor. XIV, 16 adferam prolixius, sententiam quippe nostram clarissime, confirmante. Accedit tandem, ne plenissimae probationi aliquid desit, communis interpretum sententia et auctoritas, eundem voculae Amen significatum adscribentium. Ita enim LXX. Interpretes plus vice simplici το אמן explicarunt per γενοιτο. HIERONYMUS id quoque calculo suo confirmat, inter patres quippe veteres litteris hebraicis doctissimus, in Comment. in Ies. lib. VIII. c. 25. ita differens: *Dominus in Evangelio saepe hoc verbo utitur Amen Amen*, i. e. *vere vere dico vobis.* Nec est quod eiusdem Patris auctoritas nobis opponatur in *Comment. in Ezech.* C. XVI. ita narrantis: in *V. T. Dei iuramentum esse, vivo ego dicit dominus*; in Novo autem *Amen dico vobis.* Sed sensus auctoris ex antecedentibus talis est: recentem hanc N. T. formulam perinde valere ac antiquum illud V. T. iuramentum, si certitudinem rei spectes, eiusque instar esse, et pariter ad verum confirmandum adhiberi. Alias enim ipse sibi contradixisse putandus esset, ut qui Amen saepissime interpretari soleat vere, adseverandi quidem, non autem iurandi significatu. Nec plurimis rerum testimoniis adstruere conabor, quod, citra ullam iuramenti formam seu partes eius essentiales, nullum quoque existere possit iuramentum. In iurisiurandi enim religione Deus

et testis et vindex interponatur necesse est, hoc autem in verbo Christi, nullum est attributum divinum stricte sic dictum, quo Deus significetur, sed adfirmatio veritatis illius, quae ad praecedentem orationem spectat. Hinc το Αμην nihil ac summam clarissimamque orationis cum rebus ipsis denotare convenientiam, relinquitur, adeoque religio Christiana non adeo firmo niteretur fundamento, iuxta rev. WEBERUM, p. 5. si ex huius iuramenti criterio aestimanda esset, quod certe adversus verae religionis hostes defendi posset nequaquam. *

§. XII.

Ad spurias nunc iuramentorum formulas pervenire earumque rationem paulo curatius indagare necesse erit. Tanta vero animi perversitate Iudaicam gentem deprehendemus, ut Iehovam non tantum saepe non agnoscerent, sed si etiam per nomen eius iurarent sub specie religionis, peierare tamen per illud, iis non fuerit religio: imo per alios, fictitia gentilium numina illud praestitisse, Ierem. XII, 16. et V, 2 et 7. doceatur. Pari enim mentis levitate ac turpissima religionum mixtura, uno veluti spiritu, per veri Dei sacra, perque fictitium idolum, ab illis fuisse iuratum, sacrae paginae testantur. Unde etiam abominandum hoc, sanctissimoque Numini valde exosum fuisse iurantium horum nefas, ex adlegatis Ieremiae capitibus elucet, quibus scelesta et execranda facinora exprimuntur. Tantum vero aberat, ut insontes criminibus his iudicarentur, ut potius ad theatra poenarum ex iustissima Dei indignatione, innumeraque suppliciorum genera fuerint condemnati. Eodem, si non deteriori modo, concitatam in se iram sentiebant divinam Samaritani, gens ad superstitionem quasi composita, cuius in iurando levitatem falsitatemque atro carbone castigavit Amosus Cap. VIII, 14. Initio enim patria sua colonos adorasse numina docent RELANDUS ** et GOODWINUS *** qui per tres muta-

* Verba eius haec sunt: religionem nostram Evangelicam esse firmissimam et adversus inferorum portas ideo praevalentem, quoniam ab ipso capite coetus Christiani et Magistro Iesu Christo toties iureiurando solennissimo est confirmata.

** Vid RELANDI Diss. Miscell. diss. VII. §. 11.

*** GOODWINI Mos. et Aaron. lib. I. C. XI. §. 16. p. 119. ed. Reiz. et pl. rev. WEISSII diss. supra laudata p. 19.

mutationis gradus, quos ea aetate Samaritanismus subierit, disposuerunt periodos, et tum mera idolorum superstitione Samaria tenebatur. Post, ex captivis sacerdotibus aliquem admittebant, qui Iehovae sacra ita perageret, ut cum pristina idololatria coalescerent in unum. Tandem et templum, Alexandri M. venia in monte Garizim extructum, resque adeo Samaritana ad summum celebritatis evecta est fastigium. His itaque temporibus, adeo desultoria iuramentorum ratione utebantur, ut parum referre crederent profani, cuius tandem numinis veri an falsi, in iureiurando facerent mentionem; *ne tamen forte*, sunt verba rev. WEISII, *Deorum aliquis sperni nimium et superciliosius videretur contemni; utrumque numen, socium veritatis testem, periuriique vindicem provocandum esse, incredibili plane αβλεψια, dicam an religionis tepore, statuebant. Sacramenti autem, qua utebantur formula, haec erat:* חי אלהיך דן וחי דרך באר־שבע *per vitam Dei tui o Dan, et per vitam viae Beersebae.* Utuntur quippe communi apud hebraeos iurandi formula, scilicet per vitam * Dei istius famosi, qui vitulus alter erat a Ieroboamo scelesto artificio inauguratus. I. Reg. XII, 29. 30. II. Reg. X, 29. ** Hunc sacrum sibi ipsis locum veluti praesentem putabant, et Dan suum venerabile adlocuti sunt, dicentes: *quam vere vivit Deus tuus*, iuxta *Virgil.* namque erit ille mihi semper Deus, illius aram saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. Hoc idolo coniungunt *viam Beersebae*, *** in confinio tribuum Simeon et Iudae, haud procul a deserto *Pharan* sitam, eoque figurato loquendi genere, consuetudinem, mores ritusque sacros ibidem observatos, consentientibus interpretum plurimis, denotare voluerunt. Eadem vero phrasis in sensu modo explicato sumta, coincidit ferme cum altera Zeph. I, 5. conf. II. Chron. XV, 14.

* Vid. BUXTORFF. *Lex. Talm. f.* 744. et GUSSET *Comment. Linguae S.* f. 251.

** Vid. inprimis ADRICHOMIUS in *theatro s. descriptione terrae sanctae p.* 165. *n.* 37. et saepius laudatus WEISIUS in *dissertatt. egregiis de Numinibus vialibus*, Diss. I. cap. I p. 20.

*** Beerseba haec non confundenda est, cum illa Beerseba, cuius in itinerario suo BIDDULPHUS apud LIGHTFOOTUM in hor. ad Io. IV. 4. meminit, nec cum termino Galileae eiusdem fere nominis, qui Barsabe, Bersobe ADRICHOMIO et RELANDO Lib. III. Palaest. p. 462. audit, IOSEPHO autem de B. I. lib. II: c. 25. et lib. III. c. 2. *βηρσαβεε* et *βηρσαβη* dicitur, cum idem A. I. lib. 1. c. 22. nostram Beersebam *βηρσαβαι* et *βερσαβεε* dixerat.

Ef. XIX, 18. השבע ליהוה iurare Deo, ubi verbum construitur cum ל neque Iun. et Tremell. accurate verterunt: iurantes per Iehovam, sed rectius: iurantes Iehovae, i. e. Deo se addicunt quidem, veraeque eius religioni se consecrant, et tamen simul per Melechum iurant. vid. Tarnov. in Proph. min. ad h. l. Num vero eadem in urbe idolorum cultus ac in Danitica, tam altas egerit radices, magnum quidem interpretes inter sententiarum est divortium. Nos rev. WEISSIO, haec commata eruditissime investiganti, adstipulamur, tam crassam foedamque idolomaniam huic merito abneganti. Tacente enim in hac memorabili re, omni antiquitate sacra, nostrum quoque non est adfingere quidpiam, aut Scripturae Sacrae inferre, quod in eadem invenire non datum est.

§. XIII.

Solemne porro Hebraeis non tantum, sed et Aegyptiis erat, per vitam et salutem regum et principum suorum iuramenta concipere. Quo receptissimo more Iosephum, regis in Aegypto vices tenentem, erga fratres usum fuisse, Gen. XLII, 15. relatum legimus, dicentem: חי פרעה vivit Pharao, seu vita Pharaonis. Qua in re cum quibusdam, ut CALVINO, PISCATORE culpandus videatur, quasi nimio adulandi studio, aut idololatrico more id fecisset, excusatus tamen a plurimis nostratibus fuit, GERHARDO * inprimis et A. PFEIFFERO ** quibus etiam s. r. ZEIBICHIUS subscribit *** non formulam iuramenti, sed civilem adfirmationem et confirmationem esse adserens. Nec Clericus alienus ab hac sententia videtur, formulae huius sensum ita explicans: ut verum est, vivere Pharaonem, sic vere hoc vestri sumam experimentum; vel, ut bene salutem Pharaoni precor, ita vere &c. At non opus est ingenio tanti viri, cum hanc formulam ex consueto Aegyptiorum sermonis genere desumtam esse certissimum, multisque argumentis a SELDENO **** et WITSIO probatum sit. Gravissimum enim tale iuramentum Aegyptiis fuisse, capitisque supplicium, si quis violaret, secum trahens, testantur Aben Esrae in h. l. verba, *adhuc hodie*, inquit:

* In Commentar. in Genesin. ad h. l. p.

** In dubiis vexatis ad Gen. XLII, 15.

*** In Pentateucho ab ipso eruditissimis notis instructo et edito ad h. l.

**** Vid. SELDENUS in Syntagm. de diis Syris cap. III. p. 10. et additament. Beyeri p. 53.

inquit: *moris esse in Aegypto, ut si quis iuret per caput regis, et non praestet, capite plectatur, nec permitti ut vel auro, vel ulla alia re vitam suam redimat.* Hinc Iosephum apud Aegyptios viventem solemnem etiam eorum formulam absque adulationis impietatisve crimine usurpasse, non adeo incomtum videtur, cum, si more hebraeorum חי יהוה dixisset, tantam fortassis fidem non invenisset. Accedit quod Elisaeus vates, Eliae etiam per vitam praeceptoris iuramentum praestiterit, II. Reg. II, 2. et Channae mulieris Elkanae, I. Sam. I, 26. eodem modo conceptum fuisse legamus. Ita quoque Iosephum, cum sese ceu aegyptium simulaverit, ut aliis in rebus, moribusque aegyptiacis, etiam in iuramenti hac religione sapienter consvetudinem, inter quos degebat, sectatum fuisse, eius pietati tantopere laudatae non videri debet contrarium. Eadem vero iurandi phrasis occurrit II. Sam. XI, 11. ab Uria erga Davidem prolata וחי נפשך *per vitam tuam*, nisi cum *Vatablo, per auctorem salutis tuae* explicare quis velit, ac si per Iehovam omnis vitae auctorem iurasset; nimis tamen longe petitam hanc interpretationem esse, quivis facile perspiciet, si et communem apud hebraeos hoc modo conceptam iuramenti formulam fuisse intelligat. Ita enim בחי המלך per vitam regis, ut solemnis iurandi formula narratur in Rosch Haschana fol. XVII. col. 2. Nec per caput, aut vitam, sed per regia quoque diademata et insignia creberrime iurare solebant, non secus ac CLAUDIANUS *de raptu Proserpinae* v. 448. *Per hoc ego sceptrum iuro.* *Per sceptrum* enim *Nebucadnezar* et regnum, quod defenderet iurabat. Per *coronam* regis תגא דמלכא iuramentum describitur *Kidduschin* fol. IX, 1. Quem perversum iurandi modum tanta temeritate, vergente inprimis ad finem Synagoga, excoluerunt, ut per *Mosen*, cuius exempla in Talm. Hierosol. Megilla fol. LXXV. col. ult. *Per Mosen, ego adspexi sacerdotes scil. bene dicentes, et non avocatus fuit animus meus*; *et in Horaioth fol. XLVII. col. III. ed. Amstel. per Mosen, si adiunget ei aliam, occidet eum. Per Prophetam*, nescio quem, obvenit iuramentum in *Schevuoth* c. IV. * Imo per posteros *Sethi*, ob easdem, quae CEDRENO λεπτογενέσει memorantur, rationes, filios Dei dictos, et ob Abelem adeo Caino infensos eiusque nepotibus, ut solemni se obstringerent iuramento: ברם הבל

 per

* Vid. NICOLAI de iuramentis p. 98. et b. *Aug.* PFEIFFERI *Antiquit. hebr. Select. p.* 189.

per ſanguinem Abelis. * Per *vitam* vero ſeculi huius et venturi *Rabbinorum* ſanctorum in terra Iſraelis vid. *Peſachin* fol. CXIII. col. 2. Huc quoque ſpectat iuramentum, cuius *Philo ille Iudaeus*, περι των αναφερομενων εν ειδει νομων meminit, quando urgente neceſſitate πατρος η μητρος ζωντων και ευγηριαν τετελευτηκοτων δε την μνημην, parentum qui in vivis adhuc ſuperant, *ſalutem* ac bonam ſenectam, defunctorum vero *memoriam* iurare permittit. **

§. XIV.

Adeo autem ethnica haec Iudaeorum ſuperſtitio, et per quodvis numen iurandi levitas, in illa gente, ex captivitate iterum vindicata, vulgaris erat, ut nec his iurandi formulis contenti, et per ſacras non tantum numinique dicatas, ſed et proprias quoque res, et quidquid tandem in buccam veniret, iurare non fuerint veriti. Hinc per *coelum* iurantes audimus in *Berach. Babyl.* fol. 55. השמים כן הויא *per coelum ita res eſt.* Quamobrem a gentilibus tantopere illudebantur, ut notiſſimum PETRONII in eos ſcomma ſit:

Iudaeus licet et porcinum numen adoret,
Et coeli ſummas advocet auriculas,

et IUVENAL. Sat. XIV, v. 97.

Nil praeter nubes et coeli lumen adorant.

Fruſtra enim agunt qui *per cœlum* Deum ipſum hos intellexiſſe contendunt, quod P. CUNAEUM lib. VI. cap. 6. *de republ. hebr.* feciſſe legimus. Per *ſolem* iuraſſe, teſtis eſt MAIMONIDES in *Schevuoth* c. XII. et *Talm. Schevuoth.* cap. IV. ſi quis iurat *per coelum, terram, ſolem, et ſimilia &c.* Imo per עבודה ſ. *cultum Dei*, vel *fidem*, ut *Bava bathra* fol. II. formula haec ſaepius, teſte BUXTORFF. *in Lex. f. 1565.* repetitur: Dixit ipſi per cultum Dei (i. e. per Deum) ſi in arca eleemoſynaria quidquam amplius eſt. Et in *Taanith* fol. 24. 1. *Per fidem et cultum, anteverſurae ſunt filiam meam.* Per *Hieroſolymam* porro ut in *Toſapht.* ad *Nedarim* c. I. R. IUDAH, inquit: *qui dicit* per *Hieroſolymam nihil dicit, niſi intento animo voverit Hieroſolymam verſus.* Per *templum* quoque duplici iurabant formula: ita in *Keritut* fol. VIII. I. המעון הזה, i. e. *per habitaculum*

* Conf. SELDENUS *de Diis Syris p. 10.* ed. *Beyeri*, hanc quippe formulam ex *Eutychio Patriarcha Alexandrino* aliisque luculenter probans.

** Vid. NICOL. l. c. et *I. H.* URSINUS in Anal. T. I. p. 21. et LYDIUS in Diſſ. citat. p. 326.

lum hoc, et in *Kiddufchin* f. 71. lin. 1. R. IOCHANAN היכלא בידינו חויא,* per templum res eft in manu feu poteftate noftra. Per *altare* quoque, ut in *Echa rabba* c. II. 10. legitur: *quomodo iurare fecit eum?* dixit R, *Iofia bar Chanina*; *per altare interius.* ** Per *Decalogum ac libros facros* iuramenta praeftita leguntur in *Aruch*, in שבע fecundo: *qui iurat per decem verba, et per librum legis, nunquam in perpetuum id revocare poteft.* *** Quo referendum illud R. D. KIMCHI in Ef VIII, v. 20. *per legem ac teftimonium formula iurandi, perinde ac fi dicas: per legem erit ita vel ita, atque* NISI *iuramentum notat.*

§. XV.

Neque eo minus de veritate iuramentorum iam enumeratorum dubitandum eft, quo graviorem ipfum fervatorem O. M. habemus hac de re teftem, omni exceptione maiorem, Iudaeis quippe vanas ineptasque has ipfas formulas Matth. V, 33-36. feveriffime exprobrantem. Quibus omnibus accedebat folemnis iurandi alia adhuc fpecies, Marc, VII, 11. commemorata: τȣ fcil. κοϱβαν, quam Matth. XV, 5. Δωϱον expreffam legimus, quae iam diu fatisque acutiffimos etiam interpretes exercuit. Retinuit enim *Marcus* fyriacam vocem κοϱβαν, quae a קרב *appropinquavit* derivatur, quia per facrificia et dona, oblationesque legitimas ad Deum appropinquare folebant Hebraei. Hinc alii iuramentum proprium ex hac voce elicere voluerunt, alii contra, omnem iuramenti fidem denegarunt. Nos media quafi via incedentes, negandum minime effe arbitramur, proprio quidem fenfu illud, iuramenti formulae, vim habere nullam; perverfo tamen iudaeorum tunc temporis ftatu, in numerum quoque iuramentorum adeptum fuiffe, res eft certiffima. Quum enim per altare illis iurare non fuerit religio; nec per donum, quod fuper altare eft, ut Matth, XXIII, 18. turpiffimum eft exemplum, fibi non pudori effe crediderunt. Integra autem formula,

* Vid. PFEIFFERI Antiq. felect. p. 188. et NICOLAI p. 100 fqq. qui plurima alia et innumera exempla fuppeditabunt.

** Praeter *Nicol.* l. c. LIGHTFOOT. hor. hebr. in Matth. V, 34. p. m. 280. SELDENUS *de Synedriis lib. II.* cap. II. p. 854.

*** Conf. omnino MIEGIUS Theolog. olim Palatinus in *Maimonid. tract. Schevuoth* notis doctiff. illuftrat. p. 125. et *Nic.* lib. c. et HALTERMANNI erudit. Diff. de form. iurament. §. XV. fqq.

mula, a Christo l. c. profligata, per iuramentum debito auxilio ac subsidio parentes defraudantium, idque sub religionis pietatisque zelo et praetextu, quasi nimirum nefas plane esset, iuramentum tale fieri irritum; quod ejusmodi erat: Korban meum, seu per donum vel oblationem meam, si quidquam a me tibi profuturum sit. Interdum etiam Korban solum pronunciabant, (nam textus Graecus Matthaei simplex habet Δωρον et Marc. VII, 11. κορβαν) pleniorem autem, in verbis Matth. XXIII, 18. quoad priorem partem, habes hanc formulam: ος δ αν ομοση εν τω δωρω τω επανω τȣ θυσιαςηριȣ. Ubi εν τω δωρω κ τ. λ. est per donum. Altera vero pars iuramenti liberorum, quo se obligabant, ad auxilium parentibus non praestandum, ex veteri Iudaeorum consuetudine concepta est, et ex Gen. XIV, 23. Exod. XX, 7. Lev. XIX, 12. Num. XXX, 3. repetita creditur. Omissa vero est in verbis: ο εαν εξ εμȣ ωφεληθης quae ad sensum explendum faceret, *poena*, ut adeo integra ad verbum apud Matth. haec fuerit formula: per donum, si quidquam a me tibi profuturum sit. Quemadmodum Matth. X, 14. ος εαν μη δεξηται υμας, notat: si quisquam vos non receperit et Cap. XXIII, 18. ο εαν ομοση, si quisquam iuraverit, ita etiam dicta verba eodem modo explicanda sunt. Quodsi itaque sensum reprehensionis salvatoris scire aves, hunc accipe: refutantur illi, qui praetextu huius iuramenti, quo se devinxerant, parentibus se subsidium non praestituros, debitum amorem cum honore coniunctum denegabant. Illud autem maximam hypocrisin spirare, certissimum erat, quod, si fortassis per altare, iurassent, non adstringi se crederent; at, si id facerent per Korban et omnia quae super altare posita essent, minime irritum fore huiusmodi iuramentum putarent, adeoque αςοργȣς hypocritasque summo gradu sese praeberent.* Ex his constat, formulam hanc magis esse voti, quam iuramenti formalis, nisi quis opposuerit, votum illud ab hebraeis modo sine, modo sub iuramenti significatu fuisse usurpatum, cum utraque lectio et acceptio stabiliri possit, et insignis quoque PHILONIS locus, in libro περι ευορκιας και σεβασμȣ testatur, fuisse quosdam inter Iudaeos, qui iureiurando se obstrinxissent, τω δεινι μη ρεξειν ωφελειαν τινα, η παρ εκεινȣ τινα ληψεσθαι, non bene facere alicui,

* Vid. praeter S. R. WOLFF. *in Cur. Ev.* LYDIUM in diss. de iur. p. 260. et NICOL. p. 104. inprimis vero CLOPPENBURG. *in Schola Sacrificiorum Patriarchalium Sacra* p. 221.

cui, nec beneficium ab eo accipere velle, μεχρι τελευτης, usque ad mortem.

§. XVI.

Ita vero edocti erant Iudaei a magistris suis, ut si quis voto se obligatum sentiret, non liceret ulli homini id rescindere, neque parentibus neque liberis. Clarissime hoc profitetur *Cod.* נזיקין part. I. בבא קמא c. IX. §. 10, *Si quis filio suo dixit: res devota Deo sit, quidquid ex meis tibi proficuum esse possit, quando vero diem suum obiret, filius eius haeres est, sin de vita aut morte sua votum illud intellexerit, tum, sicubi vita fungatur, filius eius haeres non est, sed filiis aut fratribus suis bona et haereditatem cedit.* * Ex quibus, utrorumque et parentum erga liberos, horumque erga parentes constat fraus et impietas, qua sub specie voti vel maxime nefandi, filios suos haereditate privabant. Utrique autem facultates suas Deo devovebant, ita ut cum iurati essent, parens aut filius, votum praetenderent oblationis, eoque se excusarent, quasi iam omni pietatis officio ex asse defuncti. Consentiunt cum hac interpretatione interpretum quamplurimi; neque LUTHERUS abludit, verba Evangelistae citata ita vertens: Wenn ichs opffere, ist dir es viel nützer, ** et SYRUS: *Oblatio mea est id, unde utilitatem capies ex me.* Hancque explicationem εαν, subiunctive iunctam svadere videtur, quasi dicatur: munus Deo consecratum nec tibi petere, nec mihi concedere licet. Et quamvis usitatissimum illud inter Iudaeos proverbium sit CHASCUNI: tenetur filius alere parentem, vel ostiatim emendicando stipem; hoc tamen voto obstante, minime observatum fuisse, exemplis, si operae pretium foret, probari possit quamplurimis. *** Ut taceam αρχαιες in hoc etiam casu dispensare potuisse, habito insuper de honorandis parentibus praecepto, quemadmodum et חכמים *sapientes*

* Vid. *Io.* COCCEII Excerpta ad Cod. de iudiciis et poenis Tom. VII. f. et NICOL. in tr. de iurament. p. 108.

** Neque incomta sed sensum affabre exprimens *Abrah.* SCULTETI est paraphrasis in Observat. in Matth. c. XLI. Ihr aber saget wer zum Vater oder Mutter spricht: alles womit ich dir dienen könte, hab ich zum Gottesdienst vermacht; derselbige darff Väter oder Mutter weiter nicht ehren. (kein Guts mehr thun.)

*** Vid. LIGHTFOOT hor. Talm. p. 281. 399. ed. b. *Carpzov. Nicolai* p. 112. LYDIUS p. 284. et b. *Stollbergii* Exercitatt. Acad. Exerc. X. c. II. p. 393. WOLFF in Cur. Phil. in Ev. p. 104. 328. sqq. et WAGENSEIL in Sot. p. 208. ZIEGLERUS ad Grotium p. 701.

entes aliquem a voto προπετως facto absolvere poterant, etiamsi ei addidissent: non licere illud ακυρουν aut *irritum facere, inter parentes et filium in priorum honorem*, ut nimirum in extremae necessitatis casu suis opibus subvenire possit filius. Persvaserant enim ita discipulis suis doctores; maiorem deberi reverentiam et honorem magistris quam ipsis parentibus. * Ita enim MOSES AEGYPT. c. l. *videns patris sui infortunium et magistri sui, opituletur prius doctori et postea parenti.* Et iterum: *Patre et magistro carceri datis, discipulum prius tangat cura huius, quam illius.* ** Itaque fallitur *Sam.* PETITUS *** auctoritate legis ab *Chascuni* traditae, quam nullam pati posse exceptionem frustra iactat, et verius *Corban* ab Evangeliorum scriptoribus dici putat, qui ex Levit. XXVII. sacro se devoverent ministerio. Testem quidem laudat IOSEPHUM *Antiq. Iud.* l. 4. c. IV. qui de *Nasiraeis* agens, (quos male cum τοις Κορβαν confundit BARONIUS ad A. LIII. n. 35. fol. 250.) meminit, eorum qui se ipsos CORBAN nominabant, et perinde ac *Nasiraei* Deo ex voto se consecrabant, adeoque ad ministerium sacrum ultro ad tempus obligabant. Liberos itaque cum hac exceptione se tueri potuisse adversus parentes, ne honorem illis haberent, lege sancitum; hac fere formula: Δωρον *Dei sum dicatus*, ο εαν εξ εμου, ubi vacabo a liturgia, ωφεληθης *tibi adero ac iuvabo.* Ita censet quidem PETITUS, sed absque eruditorum suffragio, repugnante non tantum phrasi ipsa, sed et quotquot sunt Apellarum omnium. Longe sagacius *Ios.* ille SCALIGER mentem suam hac de re expressit, **** quam tamen Lectoribus repetere non audeo, ne nauseam creasse videri queam.

§. XVII.

Adeo autem tempore Soteris optimi perversa erat Iudaeorum gens, ut nihil in lege, nisi corticem animadverterent. Ne itaque poenae in vanum usurpati nominis divini, se facerent reos, sedulo temperabant sibi illius appellatione, facile tamen colligentes, sibi fidem non haberi, ubi sermo ipsorum simplibus istis voculis, a Salvatore praescriptis ναι και ναι ου και ου, affirmaret vel negaret, nulloque iura-

* Vid. MOSES AEGYPT. in הלכות תלמוד תורה Tom. I. c. V. lin. 12.

** Vid. *Io. Tob.* MAIORIS diss. §. V.

*** Var. Lect. lib. IV. cap. IV.

**** In Elencho Trihaeres. Serar. c. IX. p. 211. et *Io. Tob.* MAIOR in Diss. *de iuramentis Oriental.* MDCXLI.

iuramento fulciretur. Hinc effinxerunt certas iurandi formulas, quibus Dei nomen non exprimerent, et proinde, ex mente sua, praestare non tenerentur. Huius vero neque gentiles ignari, omnem fidem Iudaeis, etiamsi centies iurarent per creaturas, nisi nomen divinum interponerent, denegabant. Unde MARTIALIS *lib. II. Ep. XCV.* cum Apella tali agens, qui et per templum seu tecta tonantis iuraret, sic affatur:

Ecce negas, iurasque mihi per tecta tonantis.
Non credo iura, verpe, per Anchialum.

Dici autem non potest, quam haec latinis auribus insveta torserint interpretes, et quantopere hunc ipsum vexaverint locum, ut sensum eius aliquem perciperent. Quam absona enim sunt, quae de statua et numine Sardanapali in *Anchiala*, urbe *Ciliciae* culto, *Dom.* CALDERINUS, et quae de eodem *Anchialo*, quem *Martialis* puerum esse finxit RIGALTIUS, excogitarunt. Omnium autem maxime nugantur, qui de ludo quodam incerto somniarunt, cuius meminisset BALSAMON ad Conc. VI. c. LI. Mihi vero perdifficile erit, in tam larga interpretum messe, * spicilegium quoddam verae sententiae addere; hoc tamen cum praestantissimae eruditionis viris adfirmare audeo, traditionum Iudaicarum hunc locum apertissima redolere vestigia, a Poeta minime ignoratarum. Hinc etiam SCALIGER ** primus extitit, qui haec verba ex fontibus hebraeis explicanda merito iudicavit. Quem FARNABIUS in edit. *Martialis* in h. l. et *Sam.* PETITUS *Var. Lect.* lib. I. c. 16. aliique secuti sunt. Nec tamen interpretationibus horum virorum in omnibus calculum meum addere possum, sive cum *primo* respexisse dicatur ad חי אלה *vivit Deus*, sive cum *secundo* ad אם חי אלה *Si vivit Deus*, m scilicet ante ch in n verso ad graecas romanasque literarum dispositionis leges; sive cum TERTIO; ad אין חי עליון, q. d. *non*, seu nego *ut vivit Alon s. excelsus*, ita ut hoc iuramentum abnutivum sit, tribus distinctis vocibus, *an* quod est אין sive אן, חי, vivit, et אליון alon, uti e Plauto pronunciatum fuisse PETITUS tradit, sitque hominis negantis iuramentum inficiantisque crimen cuius accusabatur. Neque b. GREENII sententia calculum mereri videtur, qui cum *Steph.*

* Vid. sententias hac de re collectas ab b. *Georg. Sigismund.* GREENIO in Diss. de *Anchialo.* Witteb. MDXCVII.

** De emendatione temp. fol. 69.

MONACHIO, in Var. Sacr. tom. II. p. 83. vocem hebraicam in graecam commutat, dicitque per Aegialum Poetam emendandum, quasi dixisset Romanus: O verpe recutite: iuras mihi per templum Iovis tonantis, quod numen profundissima observantia colere lubens profiteor, sed ego prius dictis tuis fidem non habebo, nisi iuraveris per littoralem Deum, quem vos colitis ad littora &c. * Rectius igitur agemus, si retineamus *Anchialum*, quod est quasi אני חי עולם *ego vivens in aeternum*; expressa enim videtur et desumta haec iurandi formula ex ore ipsius Dei, qua utitur Num. XIV, 21. חי אני אולם et Deut. XXXII, 40. unde et Dei epitheton חי העולמים. Legendum itaque constanter apud Poetam *Anchialum* arbitror, seu אני חי עולם, quasi dicat: non credo tibi *verpe*, etiamsi per templum Dei iuraveris, cum fallere ita possis ac soleas, utpote iuramento per creatam rem concepto; iura vero per eum, *qui iuravit, ego vivens in aeternum*, h. e. per ipsum Deum, et non peierabis, nisi luere velis poenam.

SECTIO IV.

DE GESTIBUS IURANTIUM.

§. I.

Ad gestus iam iurantium descendamus necesse est, ubi eandem rerum varietatem, nec sine delectatione, comprehendemus. Ita autem, cum ipsum Numen supremum iuramento, fidem dare intelligimus, *manibus elevatis*, inquit, Deut. XXXII, 40. *Deus, attollo ad coelos manum meam, et dico: vivo ego in aeternum*; et Ezech. XX, 5. 6. rursus sic ait Iehovah: quo die eligebam Israelem, *sublata manu mea* semini domus Iacobi *iuravi*. Eosdem etiam gestus eiusdem numinis Ezech. XXXV, 1. et Neh. IX, 15. alibique saepius legere licet; nec est quod interpretem heic agere necesse sit, cum per se sint omnia clarissima, cum Iehovah aut aliquid in iisdem promittat, aut promisisse referatur, hoc tantum paucis repetere non alienum erit, quod iam supra observatum fuit, singularem scilicet καταβασιν, qua ad miserrimum, et ad fidem denegandam admodum proclive huma-

* Vid. *Petr.* ZORNII viri Cl. dissertat. de Scholis Iudaeorum publicis prope a lacuum, amnium, et fluviorum crepidinibus exstructis. Ploenae MDCCXVI. §. VII. add. SELDENUS. l. c.

humanum genus, pro amplissima sua benignitate, hac in parte se adcommodare, et more humano signoque externo res sanctissimas confirmare soleat. Nihil tamen vetat, quo minus sub manu vel dextra divina, omnipotentiam quoque divinam intelligamus, ita ut Iehovah quasi dicat: *per omnipotentiam meam iuro*; manus enim et dextra eandem in plurimis S. S. locis evidenter satis denotat. Adeoque per se ipsum iuxta §. III. iurasse Deum merito iudicamus, cum superiorem se agnoscat neminem. * Mitto iam R. *Iac.* ABENDANAE commentum, in spicilegio ad *Ben Melechi* Comment. in כך כתצי הקדש s. in XXIV veteris T. libros, *Michlal Iophi* ab auctore dictum, ad Exod. XVII, 16. fol. XXI, col. 2. prolatum, de iuramento Dei sententiam suam dicentis: etiam per *thronum* seu *solium iurasse Deum inveniri*. Ita vero ille: *qui sustulerit manum suam et iuraverit per thronum maiestatis suae, fore sibi bellum et inimicitiam adversus Amalekitas, usque dum eos consumserit.* **. Tacet enim de hoc iuramento divino Scriptura, quamvis negandum non sit, idem illud inter formulas a Christo Iudaeis exprobratas Matth. V, 34. recenseri, non tamen ut ab ipso Iehovah, sed a superstitiosa iudaeorum gente invectum. In *Pirke Avoth* autem R. ELIESERIS eandem tibiam legimus inflatam, ubi cap. XLIX, p. 106. ed. *Vorstii* ita fatur: R. SCHILO ait: *cum vellet Deus exscindendum exterminandumque innuere omne Amalekitarum semen, quid fecit? R. extendit manum dextram suam et adprehendit thronum gloriae suae iuravitque etc.* Arrisit etiam haec sententia *Christoph.* CARTHWIGTH. *** et *Sixt.* AMAMAE **** cum SERARIO, quam et vulgatae versioni adaptari posse censent, quod illa habeat: *manus solii domini*, hinc dicit SERARIUS. † *Dei manum in solio ad iurandum collocatam.* Pluribus refellere eandem nunc non attinet, cum ipsa codicis inspectio quemvis rectiora edocere queat.

* Vid. Cl. SCHOETTGENII Horae Hebr. p. 957. et D. WATERLANDI egregium librum, quem *Scripturam vindicatam* adpellat adversus TINDALLI librum anglico sermone conscriptum de *Christianismo creationi aequali.* Part. II. p. 47. sqq.

** Vid. b. CARPZOVII not. ad SCHICKARDI Ius Reg. p. 290.

*** CARTHWIGTH. in Electis Targum. Rabb. ad Exod. p. 219 sqq. ed. Angl.

**** AMAMA in Antibarb. Bibl. p. 210. ed. II.

† SERARIUS in Com. ad Iosuam lib. I. c. 3. qu. 25. p. 73.

§. II.

Eodem vero more posthac *Abrahamum* usum fuisse in iureiurando Gen. XIV, 22. expressum legimus, regem quippe Sodomae ita adloquentem: *extuli manum meam ad Iehovam*, i. e. *iuravi*, me non capturum esse vel filum vel corrigiam calcei tui, si accepero, h. e. *elata manu iuravi ad Iehovam, et Deum in testem vocavi.* Nec enim in imprecationibus solum coelum versus levabant manus, ut ostendit *Guil.* STUCKIUS in *descript. sacrif. gentil.* fol. 87. sed etiam iurantes idem solenniter agebant; *τον ουρανον και την γην εθος μαρτυρειν, coelum et terram attestantes*, observante *Gregor.* NAZIANZ. Orat. 27. et Moses ipse hunc ritum ni fallor, observans: Deut. IV, 26. coelum et terram in testimonium solemni ritu advocavit. Quam vero consuetudinem, sive ex hebraeorum imitatione ut plurima alia, sive ductu quodam naturae, Deum intuentes, quem *υπερτερα δωματα ναιειν* crediderunt, plerarumque gentium populi observarunt, ut primum LATINUM deinde *Æneam*, sublatis hoc modo manibus *iurantes* invicem inducit *Virg. Aeneid. XII. Sic prior Aeneas, sequitur sic deinde Latinus: Suspiciens coelum, tenditque ad sidera dextram.* Simile exemplum quoque apud Aristotelem Polit. lib. III. c. 10. deprehendimus: Et si coniecturae locus est, hausisse hoc ab exemplo vel Abrahami vel Mosis, qui primi eiusmodi quid fecisse dicuntur, gentes quoque extraneas, vero simillimum est, nullo tamen, quod scimus nitebantur mandato. Qualem tamen nihilominus ritum postea apud Abrahami posteros ita invaluisse novimus, ut per metonymiam adiuncti, haec loquendi ratio levare manum, pro ipso iurandi actu frequenter posita reperiatur, imo et ipsa vox ימין quae dextram proprie hebraeis significat, iisdem et Arabibus pro iuramento non raro accipiatur. *

§. III.

* Vid. DRUSIUS ad difficil. loca Pentateuch. in Exod. XI, 16. et NOVARINUS *in Schediasm. sacr. profan.* lib. VIII. c. 7. auctoritate R. ABEN ESRAE suffultus, ita scribentis: *qui iurat, levat dextram, suam et sinistram suam in coelum*, prolixe haec omnia persequens. Plurimum vero dextram ad fidem faciendam olim fecisse, nec sine ea gravioris momenti, foedus, pactum, aliamque rem peractam fuisse, plurimis veterum et hebraeorum aliarumque gentium monumentis edocemur. Ita I. Sam. XXI. Ioabum Amasiae dextram adprehendisse legitur. Nec minori in pretio apud profanos illam fuisse, constat ex Terentii verbis: *Quod ego per hanc te dextram oro, et per genium tuum, per tuam fidem, per huius solicitudinem te obtestor.* Ubi DONATUS, inquit:

§. III.

Non equidem ſum neſcius *το levare manus*, interdum etiam alieno prorſus ab hoc accipi ſenſu, teſte *Mart. de* ROA in *Sing. Script. p. m.* 30. ubi ad Iob. XXII. *Si levavi ſuper pupillum manum meam*, ita commentatur: *levare manum ſuper aliquem, idem eſt, quod manum alicui, ſive in aliquem iniicere, perinde ac in rem ſuam, ſuoque ſibi iure vindicandam.* Noſtrae tamen opinioni Tom. II. lib. IV. c. 7. p. 534. propius accedere videtur, dicens: ſunt qui vertunt: *non levabis manum, qui geſtus interdum iurantis eſt, interdum vocantis, alias minantis aut percutientis, ut* Ezech. XX, 23. *iterum levavi manum, ut diſperderem, infligeremque poenam.* Mallem tamen hunc Ezech. locum cum IUNIO et TREMELLIO reddere: *nam etiam ego ſublata manu mea iuraveram eis in deſerto &c.* Fallor an ritus hic etiam ad Chriſtianos, alia tamen ratione, dimanavit, ut omne iuramenti genus, iudiciale inprimis, praeter verba prolata, externo etiam et viſibili motu corporali fieri debeat, et tacto pectore, ſeu levatione manuum, corporale dici conſuevit, quod Balſamoni σωματος ορκος, et ICtis graecis σωματικως και τη αληθεια ομνυειν, h. e. *corporaliter et in veritate iurare*, diſtinctumque ab eo, ubi ενεγραφη τω συμβολαιω μονον ο ορκος, i. e. *inſcriptum erat inſtrumentum ſolum iuramentum.* Ut taceam, quae BREREWORDUS * de Iacobitarum ſacramento uno tantum digito elato, aliorum autem in Oriente Chriſtianorum, eorumque orthodoxorum, duobus ſe ſignantium digitis, in Eutychianiſmi deteſtationem, ut duas hoc ſymbolo in Chriſto naturas profiteantur, peragi ſolito, refert, et quae ipſius fidei relinquimus. Conſentiunt tamen cum eo PAREUS ** et KIRCHERUS, quorum alter ita ſcribit: *Sacerdotes ſummos ſolemnem olim populo iudaico benedictionem daturos, tribus mediis digitis dextrae manus extenſis, veluti tribus* ייי, *hic nomen* (יהו) *teſte perplexorum doctore* RAMBAM *non ſine cauſa myſtice expreſſiſſe. Erat enim*, inquit porro,

Foederis ac fidei membrum erat dextra, nempe quia haec ſanciuntur dextrarum coniunctione. Hinc *Maro* de Anchiſe:

Dat dextram atque animum praeſenti pectore firmat.

conf. *Io.* BOMPARTII Parallel. Sacr. prof. p. 237. et *Robert.* SANDERSON de iurament. promiſſ. obligat. p. 164. ed. Lond.

* BREREWORDUS de linguis et religion. c. XXI. p. 215.

** Vid. PAREUS ad Gen. cap. XXIV. et KIRCHERUS in *Prodromo Copto.* c. VIII. p. 210.

porro, *illa typus quidam benedictionis per patrem, filium et Spiritum S. in lege gratiae fidelibus dandae. Certe per hoc nomen tribus quoque digitis elevatis, (vel ut alii, uno digito, in quo tria internodia, tria iod exprimebant, extenso) iuramentum veteres praestitisse, apud varios comperio, et in hunc diem, non in Graeca ecclesia tantum, sed et latina multis in locis adhuc moris esse, intelligo.* Haec ille.

§. IV.

Commemorabilis quoque usitatissimaque erat iurantium consuetudo, ubi manum femori supponere solebant, quemadmodum Abrahami servus, admota femori manu, hero iurasse dicitur, Gen. XXIV, 1, 2. Eodem plane modo Iosephum filium, Iacobus ille patriarcha, aetate iam provecta, et ad mortem obeundam paratus, applicata femori manu, sacramentum facere compellit, Gen. XLVII, 29. Qui ritus, in varias diversasque interpretes traxit partes, qua inducti causa, hebraei ita fecisse putandi sint. Quidam enim * subiectionis signum fuisse contendunt, quorum agmen ducit R. ABEN ESRA in Gen. XLVII. ita scribens: *Probabile mihi videtur, morem fuisse temporis eius, ut iurarent posita manu sub femore eius, qui dominus ac superior esset, perinde ac si ita diceret dominus: si tu sub potestate mea es, adeoque ad iussa mea capessenda paratus, pone manum tuam sub femore meo, quo dicto, dominus ipse sedere solebat, posito femore, sub iurantis manu;* qui autem iurabat, his utebatur verbis: ecce manus mea sub femore tuo, fateor me tibi obstrictum, ad faciendum voluntatem tuam. Alii tamen aliam ingressi sunt viam, et mysterium circumcisionis, cuius notam ferebant circiter eum corporis locum, ut R. *Sal.* IARCHI, caeterique hebraeorum magistri et cum iis VATABLUS et FAGIUS existimarunt; minus tamen dignam iudicarunt alii, quin potius ad verisimiliorem excogitandam compulsi fuerint sententiam. ** Hinc in promissi Messiae seminis signum, quo ille ex femore Patriarcharum illorum proditurus esset, designatum fuisse contendunt, *** eiusque rei similem loquendi ratio-

* *Io. Heinr.* HEIDEGGERUS in histor. Patriarch. et in Dissert. Select. Diss. XVII. §. XXXIV. n. 498.

** Vid. *Io.* DOUGTHAEI Anal. Sacr. part. I. p. 17. et NICOLAI de iuram, p. 127.

*** Inter hos fuerunt *Isidorus* PELUSIOTA lib. I. Ep. XLIII. et AUGUSTINUS de C. D. lib. XVI. c. XXXIII. et Quaest. in Genes. LXII. vid. CALOVII et *Sal.* GESNERI Comment. in Gen. XLIX.

rationem Gen. XLVI, 26. ubi animae egressae ex femore Iacobi dicuntur, in partes suas trahunt. Neque incomta illis haec videri potest sententia, qui magno studio symbola et typos in quibusvis V. T. ritibus, ad Christum, absque argumentorum delectu et pondere adpliatos, colligere solent. * Ut vero nec haec luce sua radiant, ita quoque *Io.* NICOLAI non probabilis videtur ratio, sub femore balteum seu gladium intelligentis, et cum priori opinione paulisper conspirantis; quo nempe tacto, et iurantis servitus et alterius imperium agnoscatur. Huic enim exemplum Iacobi et Iosephi e diametro contrarium esse videtur. Ut enim taceam, Iacobum in agone, mortique proximum fuisse, ut subiectio filii Iosephi nullatenus post letum prodesse potuerit; ita quoque vero non videtur simile, eundem patriarcham aetate iam non modo provectum, sed lecto insuper incubantem, balteo vel cingulo fuisse constrictum, cum absque incommodo illud ferre aegrotus quilibet nequeat.

§. V.

Quamvis vero haec omnia satis quidem docta, tantam tamen apud me fidem non invenere, ut non potius de verisimiliori sententia omnino cogitandum esse videretur. Quamobrem per femur hoc loco, posteros intelligendos esse arbitror, quo pacto patribus V. T. constans et perpetua fuit phrasis et loquendi ratio, ut posteritatem et prolem ex lumbis et femoribus egressam pronuncient. Ita enim Gen. XLVI, 26. animarum Iacobi ex femore eius prodeuntium fit mentio, et femur semper verecundiae caussa, stilo Scripturae S. accipitur pro membris genitalibus ipsis, ut Exod. XXXVIII, 42. Cap. I, 5. Iudic. VIII, 30. et in libello Iudith IX, 2. εγυμνωσαν μηρον εις αισχυνην, *denudarunt femur in ignominiam*, de barbaris dicitur, qui virginibus iudaicis vitium obtulerant. Hinc *Procopius* recte, inquit, ο γας μηςος το σπεςμα δηλοι, *nam femur semen designat.* Cum vero femur pro generandi partibus sumtum fuisse tradimus, non ipsa quidem genitalia immediate tacta putamus, (id enim pudor dissuadet, et lex Deut. XXV, 11. 12. vetat, vindicatusque graviter adspectus solus in Canaane, per maledictionem patris Noae

G Gen.

* Vid. BIERMANNI *Mos. et Christ.* LAMPII *Mysterium foederis gratiae*, Vol. II. P. I. p. 165. et Conf. *Guil.* SALDENUS Otior. Theolog. lib. II. Exercit. III. p. 235. quae agit: de typorum V. T. usu et abusu.

Gen. IX, multo magis tactio ipsa reprehendenda foret, neque Iacobus eam Iosepho mandasse dicendus est; sed femur h. l. ipsum sic proprie dictum, et quidem vestibus apertum velatumque censemus. Reciprocum etiam interdum hunc fuisse contactum, ex IOSEPHO constat, qui *Ant. Iud.* lib. I. c. XV. expresse dicit: υπο τας μηρας αλληλοι τας χειρας αναγαγοντες. Adeoque si quis rem promittendam iuramento, tacto femore, confirmare voluerit, non pro se tantum, sed posteris etiam suis, illiusque cui iurare debebat, sancte illud servandum spondebat, non aliter ac hodienum et a pluribus retro seculis, in summorum imperantium principumque pactis et foederibus, usu venit, ut solemni hac formula: **Vor uns, und unsere Nachkommen**, confirment. Nullius equidem interpretis vel auctoris suffultus auctoritate, quod ego sciam, haec profero; at nec me in ullius iurasse verba magistri, ut aiunt, scias; satis tamen lectoribus fecisse arbitror, cum ritum hunc luci suae tali restitutum videam sensu, qui nec verbis sacris, nec rebus gestis, nec personis, nec tandem consuetudinibus prisci aevi, adferre potest vim.

§. VI.

Ad alia progrediendum est iuramentorum genera, et quidem nunc discutienda veniunt, ubi per DECALOGUM et libros sacros iurasse perhibentur iudaei. Ita vero in *Aruch*, in שבע secundo dicitur: *qui iurat per decem verba, et per librum legis, nunquam in perpetuum id revocare potest.* Et R. D. KIMCHI ad v. 20. Es. VIII, inquit: *Per legem ac testimonium formula iurandi, perinde ac si dicas, per legem erit ita vel ita &c.* Accedit testimonium *Mos.* KOTZENS *Praecept. Negat.* 241. citat. a Cl. BUCHERO in *Antiq. bibl. N. T.* p. 233. ubi inter alia sic disserit: *quae dicta sic temperanda, ut iuret per id, quod scriptum est in ea (scil. lege) in mente habet nomina in ea divina. Sed si simpliciter per eam iuraverit, adeoque cogitans tantum de volumine, haud ibi iuramentum legitimum protestatur. Sed si ceperit eam in manus suas, et per eam iuraverit, idem est, ac si iurasset per id, quod scriptum est in ea, et obligatur.* Et FAGIUS ad *Onkel.* paraphrasin in Exod. XXI. observat: iudaeos hodie, cum iurant, libro legis manum adponere, et hoc iuramentum in pretio habere, caetera non aestimare. Interdum etiam pro lege φυλακτηρια in manu habere solebant. Ita docet MAIMONIDES *Tractatu* שבועות Perek. XI. iuramentum הדיוני illud fuisse dicit: quod quis

quis volens et lubenti animo, itemque corporaliter, i. e. manu gestans *librum legis* aut *φυλακτηρια*, (nam qui ea in manu habebat, nihil erat necesse, si vellet, librum legis tangere) iurabat. Haec autem omnia *stando* peragi debebant, ut ex R. Abraham aliisque adnotavit *Al.* NOVARINUS in *Schediasm. sacr. profan.* lib. XI. cap. II. honorantes hoc modo, ut aiunt, Deum ipsum, quem iurando invocant. Et ex iudaeorum consvetudine hanc ritum etiam ad Christianorum sacra dimanasse certissimum fore confido. Ita enim solemne est Christianis prisci aevi, *κατα των Ευαγγελιων*, super sacrosancta Evangelia iurare, ut ex Ecloga VII. *βασιλικων* constat, et *Constant.* HARMENOPULUS Prochirid. lib. I. tit. VII. expresse dicit: *ο εκ δικαςικης ψηφου, η εξ αιτισεως του αντιδικου ορκον επειχων επ Εκκλησιας, των αρχοντων εφαπτομενος Ευαγγελιων· επιορκειν δε μετα ταυτα ελεγχθεις γλωσοκοπειθω, qui ex sententia iudicis, aut postulante ita adversario iuramentum in ecclesia praestiterit, tacto sacratissimo Evangelio, ei periurii postmodum convicto lingua exscindatur.* * Quod etiam tempore Ioannis illi Chrysostomi ** usitatissimum fuisse, verba eius apertissime testantur, ita autem ille: *tu autem si non aliud, saltem librum istum reverere, quem iurans protendis, et aperi Evangelium, quod in manus sumendo iurare iubes, et audito id, quod de iuramentis Christus ibi disserit, exhorresce et desiste.* Unde et usitatissima formula nostroque tempore tritissima, originem accepisse neminem negare arbitror: **So wahr mir Gott helffe und sein heilig Wort** aut Evangelium. Eodem modo apud BAKERUM *Scriptorem Anglum* in vita *Heinrici tertii Richardum* Comitem *Cornwalliae* iuramentum dedisse legitur p. 165. *Ego Richardus, Cornwalliae Comes iuro super sanctis Evangelistis, me fore fidum ac diligentem in reformando Angliae regno, et coadiutorem in expellendis rebellibus ac turbatoribus eiusdem. Et hoc iusiurandum inviolatum servabo mihi indicens amissionem omnis agri, quem in Anglia possideo, si secus fecero. Ita me Deus iuvet.* Quem tamen ritum tacto nimirum Evangeliorum libro,

* Vid. quoque non incongrua apud *Theod.* BALSAMONEM ad PHOTII *Nomocanonem Tit. XIII.* c. XVIII.

** Hom. LIII. Tom. VI. Opp. f. 480. Ita quoque *Const.* PORPHYROGENNETA *de administrat. imp.* c. XXVI. inquit: *Tres isti, quos nominavi duces, discalceati sumtis in manus Evangeliis ad Berengarium iverunt, veniam petentes, iurantesque, nunquam, eo vivo, se illuc reversuros esse* &c.

bro, ad Solennitatem quidem iuramentorum, non vero ad substantiam pertinere recte iam pridem iudicavit, Germaniae olim decus et ornamentum *Conr.* RITTERSHUSIUS in egregio, *de differentiis Iur. Civ. et Can. libro V. c. 19.* Nonnunquam etiam tactum altare dicitur in iuramentis, sic enim iurandum iudaeis solemniter ad aram I. Reg. VIII, 31. legimus: *Si homo venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in coelo.* Quem deinde modum imitatos quoque Romanos fuisse, monumenta testantur. * Ita HORATIUS ad *Augustum:*

Praesenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per numen ponimus aras.

Et IUVEN. Sat. XIV.

Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.

Et VIRGILIUS Aeneid. lib. XII.

Tango aras mediosque ignes et numina testor.

Sed satis de gestibus nunc dictum esto. Ad alia nunc progrediendum nobis erit locaque visenda sunt, ubi iurantes iudaeos comprehendemus.

SECTIO V.

DE LOCIS.

§. I.

Inter loca itaque ea, ubi olim iuratum fuit primum statim ponendum est IUDICIUM, in quo vel iurare vel adiurari solebant, adeoque ex consuetudine hebraeorum pauca in medium proferemus. In iudicio itaque iuraturus inter septem testes constituebatur, omnesque adstantes clamabant: *tribue gloriam Deo!* quae etiam ut solemnis formula Ioan. IX, 24. repetitur, alia quae peragere solebant §. VIII. Sect. III. de muliere adulterii suspecta, iam attulimus. Iuramenti autem *iudicialis* formula vocatur illis: שבועה הדיינים et a MAIMONIDE in *Hilc.* שבועות cap. XI, §. 8. et *Mos. Kotz. Praecept. adfirmat.* 123. his describitur ceremoniis: *Qui iurat, librum prehendit brachio suo, et stans iurat, per nomen sanctissimum, aut cognomen, aut iuramentum, aut execrationem, ex ipsius ore, aut ex ore iudicum.*

SELDE-

* Vid. *Desid.* HERALDI in TERTULLIANI *Apolog.* lib. I. Digr. XVI.

SELDENUS * nescio qua auctoritate suffultus, alias prodit circumstantias, ita scribens: *Addiderunt in iuramentis forensibus solemnioribus quandoque feretrum, culleum, seu utrem inflatum, et candelas, quae spiritu cullei extinguerentur, non sine execrationibus in peierantem horrendis, sive a Synedris, sive a ministris Synedrii proferendis, ut terrore sic, si fieri posset, periurium praeveniretur.* Unde et ad infamiae timorem augendum adhibiti saepius, ut in excommunicatione gravissima et solemniori, buccinarum clangores. Inter iudicum item monita, a circumstantibus in terroris augmentum, clamari est solitum ex Num. XVI, 45. *recedite quaeso a tabernaculis istorum impiorum virorum, et nolite tangere quidquam, quod eorum est, ne forte consumamini omni illorum peccato.* ** Alias adhuc alii adferre solent iurandi formulas, quae tamen non multum ab his differunt. Delati autem a *Synedris* iuramenti formula, praeter illam de uxore suspecta iam supra recensitam, haec erat: *Adiuramus te nos per Dominum, aut per eum, cuius nomen est gratiosus, quod in manu tua nihil habes, quod adversarii est.* Et respondeat ille AMEN. Aut etiam ad hunc modum: *Ecce* N. N. *maledictus sit Domino Deo Israel, aut ei, cui nomen est gratiosus, si sit apud* N. *res aliqua ipsius* N. *quam non illi agnoscit, atque is respondet* AMEN. *Reservationes* vero, quas vocamus *mentales*, longissime ab iuramentis abesse et exulare oportebat, alias enim vanum erat iuramentum planeque irritum, ita enim in *Gemara Babylon.* expressis dicitur verbis: *cum iurabant, dictum est, heus, scire oportet nos, haut adiurare te iuxta conceptum mentis tuae, sed iuxta conceptum Dei sanctissimi, uti et Synedrii, iuxta id, quod reperimus in eo, quod fecit Moses Magister noster, qui, cum adiuraret Israelitas, dixit eis: sciendum est vobis, me neutiquam vos adiurare iuxta conceptum vestrum, sed iuxta sententiam numinis sanctissimi et mentem Dei ipsius.* Secundum quod dicitur, nec vobiscum solum &c. ***

§. II.

Neque nostris temporibus aliter multo fieri consvevit, cum Iudaeus in foro Christiano iuramentum praestare, vel adiurari veterum

* Vid. SELDENUS *de Synedriis vet. hebr.* lib. II. cap. XI. p. m. 309.
** Vid. GEMARA BABYLON. tit. שבעות Cap. VI. fol. 39, 1.
*** Vid. *Clar.* BUCHERI Antiq. Bibl. in N. T. p. 231.

terum more debet. Ita enim ex *ordinatione Camerae imperialis* constat, quod MDXXI. Wormat. lex de hac re lata sit haec: * So einem Juden ein Eydt aufgelegt wirt, soll er zuvor ehe er den Eydt thut, vorhanden und vor Augen haben ein Buch, darinn die Gebot GOttes, die dem Mose auf dem Berg Synai, von GOtt geschrieben, gegeben seind, und mag darauf den Juden bereden und beschweren mit nachfolgenden Worten:

Jud ich beschwere dich bey dem einigen lebendigen und allmechtigen GOtt, Schöpffer Himmel und des Erdreichs, und aller Ding, und bey seinem Torah und Gesetz, das er gab seinem Knecht Mose, auf dem Berg Synai, daß du wöllest warlichen sagen und verjehen, ob diß gegenwertig Buch, sey das Buch, darauf ein Jud einem Christen oder einem Juden ein rechten gebürlichen Eydt thun und vollführen mög oder soll. Quod si itaque confirmentur haec a Iudaeo, tunc Christianus serio adhortetur verpum, se non cogitare debere, daß du werest entschuldiget vor GOtt eines falschen Eydts, indem daß du wenen und halten möchtest, daß wir Christen eines unrechten Glaubens weren, und fremde Götter anbetten, das doch nicht ist. Und darumb sintemahl daß die Nesie oder Hauptleut des Volcks Israel schuldig gewesen seyndt zu halten, daß, so die geschworen hetten, den Männern zu Giphon, die doch dienten den frembden Göttern. Vielmehr bist du schuldig uns Christen, als denen, die do anbetten einen lebendigen und allmechtigen GOtt, zu schweren und zu halten einen wahrhafftigen unbetrüglichen Eydt. Et propositis deinde quaestionibus quibusdam Iudaeo, ab hoc autem omnibus clara voce confirmatis, pergit *Ord. Cam.* So das alles beschehen ist, so soll der Jud sein rechte Handt biß ahn den Knorren, legen in das vorgemelt Buch, und nemlich auf die Wort des Gesatzes und Gebott GOttes, welche Wort und Gebott im Hebräisch also lautend: Lo sißa etschen adonay eloecha laschaff kilo jenagge adonay etastherißa etschemo laschoff. ** Zu Teutsch: Nit erheb den Nahmen des HErrn deines GOtts unnützlich, dann nicht wirt unschuldig oder ungestrafft laßen der HErr, den, der do erhebt seinen Nahmen unnützlich, &c. Alia

* Vid. Recess. Imperii de Ao. MD. f. 259. ed. primae Mogunt. 1566.

** Verba desumta sunt ex *Deut.* V, 11. et *Exod.* XX, 7. sed adeo heic male litteris quidem germanicis expressa, et ita inter se commixta, ut ex duabus imo tribus vocibus unica vox confecta sit, et si correctione destituantur, timendum erit, Iudaeum ad fallendum admodum proclivem, in haec vero verba iurantem, facillime ad periurium commoveri. vid. b. WAGENSEILII Belehrung der Jüdisch-teutschen Red- und Schreib-Art, lit. b.

Alia quoque formula extat in Iure Palatino Tit. X. der Hoffgerichts-Ordnung, quam MIEGIUS * singulari cum studio et iudicio adornatam esse adfirmat, adeo ut ferme inducatur existimare, TREMELLIUM, ex Iudaeo Christianum, et ibi circa ea tempora Professorem, illius esse auctorem. Novam quoque rationem iuramenti iudaici in foro christiano adhibendi protulit *M. Fridr. Wilhelm. Christoph.* TAUFFENBURG, *ex Iudaeo Christianus et Informat. LL. OO. Halberstadiens.* quam tamen ubique valere non posse inspectio ipsa docebit, etsi satis stringens sit, et ex intima iudaeorum consuetudine repetita. ** Memorabile exemplum etiam huiusmodi adiurationis ex iure Romano refert SELDENUS *de Syned. Hebr.* l. c. p. 301. ubi Iudaeorum quilibet in forensi negotio, adiurandus, *rubo* cingendus fuit, et per *Barase Baraa* (forte depravatum ex בורא השמים והארץ *creatorem coeli et terrae*) *Adonai Eloi* qui traduxit siccis pedibus Israelem per mare rubrum, per eam legem quam *Adonai* dedit, et actum conspuendi circumcisionem corporis mei, et rubum quo cinguntur lumbi mei. *Non falso aut mentiendo iuro nomen Domini Sabaoth. Sed si falso iuro, execrandi sunt posteri ventris mei, more cœci parie-*

* Teste HALTERMANNO c. l. §. XXVII. et b. HOSMANN im schwer zu bekehrenden Juden-Hertz p. 149. sq. add. BUXTORFF. *Synagog. Iud.* Cap. XLVIII. p. 687. et *Dan. Guil.* MOLLERUM Prof. Altorf. in Diss. *de fide et moralitate iuramentorum Iudaicor.* ib. habit. 1690. et *Io. Chph.* NEHRING. *Manual. Notarior Lat. Germ.* p. 712. ed. 711.

** Prodiit germ. lingua *Wernigerod.* 1723. in fol. Inter alia Cl. auctor, si adiurandus se sistat Iudaeus, haec peragenda ante iuramentum supponit: I) Muß in der Synagoge oder Juden-Schule gebräuchliche, und der Juden Gedancken nach auf Pergament sehr heilig beschriebene Gesetz-Rolle der 5 Bücher Mosis, von den Juden herbey geschaffet; mit nichten aber auf eine gedruckte Bibel, oder gedruckten Pentateuchum, zu schwören verstattet werden. II) Muß der Jude seine Costhere oder achte Thephillin, oder Gebeth-Riemen auf dem Kopff und lincken Arm, ingleichen seinen Tallis und Zizzis (ist ein gewisses Haupt-Tuch, daran 8 Faden hangen, bey Händen schaffen. III) Müssen, wo möglich 10 Jüdische Manns-Personen, oder doch zum wenigsten 3, als Zeugen dem Eyde beywohnen. IV) Ehe der Jude zu schweren anfängt, soll er die Hände rein waschen, wie auch die andern umstehenden Juden. V) Hiernächst muß der schwerende Jude seine Thephillin auf seinen Kopff und lincken Arm, ingleichen seine Tallis, mit denen daran hangenden Zizzis auf sein Haupt, unter lautem Aussprechen des ihnen hierzu gewöhnlichen Seegens, öffentlich anlegen. Reliqua non addam, cum cetera ex MAIMONIDIS *Hilc. Schebb.* desumta sint, et apud eosdem hodienum vim et valorem iuramenti habeant.

parietem palpando quaeram, et instar eius, qui oculos non habet, cadam. Cum hisce omnibus, tellus aperiat os suum, meque absorbeat, ut Dathan et Abiram &c.

§. III.

Iuramenta etiam cum foederibus praestitis, facta fuisse inter *convivia*, non una vice in sacris reperimus. Testatur enim Gen. XXVI, 30 sqq. scriptura, Isaacum cum Abimelecho eiusque amicis, foedere percusso, iuramentisque mutuis inter se factis, convivium magnum adparasse, et una cum illis cibum potumque sumsisse. Similis epuli foederalis cum iuramento coniuncti occurrit Ios. IX, 14. 15. Neque omittendum Labani et Iacobi iuramentum convivio peractum et Gen. XXXI, 54. commemoratum. Erecta enim statua, nec non lapidum tumulo excitato, super eum una panem, h. e. cibum sumserunt, ad mutuam animorum coniunctionem, et reconciliationem stabiliendam. Illum autem tumulum, qui illis mensae instar hospitalis fuit, *Laban* quidem lingua sua Syriaca Iegar Schachadutha; Iacob autem sua *Galeed*, h. e. *tumulum* testimonii, nec non *Mispach*, h. e. *speculam* adpellavit, cuius denominationis causa l. c. describitur. Et v. 54. Iureiurando ad foederis confirmationem ab utroque facto, Iacob eodem in monte mactationem fecisse commemoratur. Eodem plane modo Abrahamus cum Abimelecho foedus iniens, septem agnas statuit in testimonium, quod is numerus absolutus, et Iuramenti instar esset Gen. XXI. ab eodemque locum ipsum adpellare non dubitavit, nemusque amoenum ibidem in rei memoriam et recreationis gratia extrui curavit; aptumque hunc locum fecit ad docendum audiendumque Dei verbum. Ut omittam nunc, veteres Christianos non solum in templis, ut supra iam demonstratum fuit, sed etiam creberrime ad Martyrum sepulchra, religione facti, iuravisse, monumenta prisci aevi testantur. Nonnulla quantilibet pretii NOVARINUS * et LYDIUS ** ex *Actis Sanctorum* petita, et inter ea inprimis *Nasamores* adducunt, quibus in more fuit positum, ut iurarent: Sepulchra defunctorum tangentes. *** Nos illis egregium addimus *Greg.* TURONENS. locum, ita vera ille: † *Si,*

* In Schediasmat. Sacr. prof. lib. VIII. c. VIII.

** In diss. de iureiurand. p. 330.

*** Vid. HERODOTUS libr. IV. et ALEX. AB ALEXANDRO lib. V. c. 10.

† Lib. X, c. 32.

Si, inquiunt, est innoxia, super tumulum beati DIONYSII MARTYRIS *sacramentis adfirma. Faciam, inquit, Pater &c.* Eandem consvetudinem SELDENUS, apud veteres *Londinenses* viguisse HEINRICI III. Angliae regis tempore, probat, * quod *super mortuorum tumulos* iurasse consveverint.

SECTIO VI.

DE GRAVITATE PERIURII, EIUSQUE POENIS.

§. I.

Naturae leges vetare, quominus committatur periurium, inter saniores extra omnem positum est dubitationis aleam. Omnium enim populorum consensu sanctissima semper habita est iurisiurandi religio, adeo, ut eius violatione nihil turpius, magisque detestandum nihil; imo vel sola peierandi voluntas, poenis divinis crederetur obnoxia. Quandoquidem extreme impius sit oportet, qui Deum omniscium, iustum et omnipotentem, mendacii fraudisque testem invocare, gravissimamque eius indignationem atque vindictam petulanter in se provocare non veretur. Recte ait SOPHOCLES in *Electr.* cuius versionem ita concepit LYDIUS:

Mens excitari iureiurando solet
Ut bina diligenter evitet mala:
Culpari amicis et Deos offendere.

Neque tamen destitutos nos videmus exemplis in S. S. obviis, ubi idem illud crimen patratum sentimus. Quamvis enim Legem de periurio non committendo suis tulerat Iehovah, Lev. XIX, 12. collat. Exod. XX, 7. Deut. XXIII, 23. ad quam etiam a Christo provocatum Matth. V, 33. legimus; nihilo tamen minus graviter satis in eandem impegisse Iudaeos, testis est *Hoseas*, facinoribus gravissimis gentis iudaicae etiam hoc c. X, 4. adnumerans דברו דברים אלות שוא כרת ברית h. e. loquuntur verba execrando seu iurando falso, pangendo foedus &c. et *Sophoniae* auctor, eiusdem criminis infami macula suo aevo laborasse multos, c. XIV, 28. notat, ubi iniuste non modo viventium, sed et cito peierantium, facit mentionem.

* SELDENUS in Marmor. & Arundel. in Anal. Angl. Britan. lib. II. c. VIII. f. 151.

tionem. Unde plurimi inter hebraeos doctores extiterunt, gravitatem huius peccati ex merito suis inculcantes. Omitto R. BECHAI verba in Exod. XX, 7. a NICOL. exscripta, et PHILONIS, non minori apud suos auctoritate cluentis, proferam sententiam, dum dicit; qui periurium committat, aut Deum non credat, curare res humanas, aut si id credat, minoris eum faciat, quam quemvis probum hominem, quem fallere volens in societatem falsi vocare non auderet. Addimus huic R. A. ESRAM, foeditatem periurii graphice summaque cum cura ita demonstrantem, dicit enim: *omnium interdictorum a supremo numine hoc esse gravissimum; homicidii enim adulteriique perpetrandi, rariorem existere occasionem, metu cohibente voluntatem*; et ut magis stoliditas peierantium innotescat, pergit: *homicidam ex inimici sui nece et ultione percipere voluptatem, et adulterium aut furtum utilitatis spe pellicere homines quoque posse; et testem mendacem, vindictae studio, talem esse posse; abusum autem divini numinis in periurio tanto utique culpabiliorem omnique voluptate utilitateque esse destitutum. Quod*, pergit ille, *si non aliud quam hoc unum peccatum in Israele reperiretur, solum protrahendo exilio nostro et augendis calamitatibus nostris sufficeret.*

§. II.

At vero impunitum peierantem talem a Deo manere minime, eadem fide semper fuit creditum. Recte enim inquit CICERO: *quae poena a Diis immortalibus periuro, haec eadem mendaci consecuta est. Non enim ex pactione verborum, cuius iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam insidiae tenduntur, dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt.* Hinc HESIODUS recte canit:*

Et iuramentum, clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore iurant.

TIBULLUS vero miseriam periuri ita describit:

Ah miser et si quis primo periuria caelat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

Credebant inprimis gentiles, insigni deformitatis nota in corpore deturpari peierantes. HORATIUM ** certe, tale quid intelligere, certum est, dum *Barinen*, periurii convinci non posse ait, quia cum per caput iurasset, nullam non solum deformitatem corporis sibi con-

* In Theogon. v. 132.
** Carm. lib. II. Od. VIII. et rursus Serm. lib. II. Sat. V.

contraxerit; sed eandem indies pulchriorem enituisse, hinc ita:

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres, vel uno
turpior ungui;
Crederem: sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, iuvenumque prodit,
publica cura.

Eadem mente fuit OVIDIUS, ita hac de re scribens:

Esse Deos credamne? fidem iurata fefellit,
Et facies illi, quae fuit ante, manet.
Quam longos habuit, nondum periura capillos,
Tam longos postquam Numina laesit, habet. *

Quam ob causam nemini videri potest mirum, si Deus, ut iustissimus omnium facinorum vindex, periuria etiam impunita non sinat, cum tantas tamque graves poenas semper periuris fuerit minatus. Quicunque enim legem Lev. XIX, 12 latam, despexerint, secusque fecerint, ad poenarum theatra non modo damnatos fuisse traditionum doctores memoriae prodiderunt, sed in rege Sedekia etiam impleta: Ezech. XVII, 16. coll. Ierem. IX, 22. commemorantur. Hinc vindictae coelestes, peierantes ut promeruerant, manebant, idque sive earum mentio inter iurandum aliqua adiiceretur, sive non; adeoque execrationes si periurium admissum, velut necessario, atque ex sui natura, coniunctae, in iuramento, sive a iurante, sive ab adiurante, prolato, licet verbotenus non expressae, continebantur. Praeter vero coelestes, etiam ab iudicibus, paratae erant poenae, ita ut iuxta MAIMON. *tract. Sanhedr.* c. XIX. teste SELDENO *de Synedr.* p. 899. flagellis non tantum caedendus, quae levis videbatur, sed lapidatione etiam, quae capitalis erat, adficiendus erat. Imo in GEMARA BABYL. *ad Tit. Nedar.* cap. I. etiam ille, qui tantummodo mentionem nominis divini ex ore proximi sui in vanum

H 2

* Plura alia huius generis exempla omittimus, quam DIODOR. SIC. lib. XI. MACROBIUS *Saturn.* V, c. 19. ALEXAND. AB ALEXANDRO lib. V, c. 10. PHILOSTRATUS in *vita* APOLLONII lib. I. c. IV. SOLINUS c. X, et STEPHANUS BYZANT. *de urbibus*, memoriae prodiderunt, et alia adhuc videri possunt, apud GROT. l. c. p. 694. et LYD. p. 336.

num adſumentis, eumque falſo iurantem audiret, aut maledictione non neceſſaria utentem, ita ut ſic quoque violaretur lex divina, eum excommunicare tenebatur, ſi vero illud non feciſſet, idem ille excommunicationi erat obnoxius. Quodſi vero quis propter depoſitum, aut furto ablatum, peierare fuiſſet deprehenſus, ille non modo depoſiti ſummam, ſed et quinta inſuper parte auctam, vi legis Lev. VI, 4 ſqq. reſtituere tenebatur. Quam ob reſtitutionem tamen hebraeorum Magiſtri inter ſe non conveniunt. De quinta enim parte ita MAIMON. in tract. *de rapina* c. VII, Sect. XII, XIII. tradit: *Quod ille, qui ſua ſponte, reſtituit ſummam, et denegat altera vice quintam partem, et iurat ob eandem, tunc quinta pars inſtar ſummae eſt; et loco illius aliam ſolvere tenetur* quintam partem, ut ſcriptum eſt: *Superaddat quintam partem, donec quinta pars, ob quam iurat et negat, minor fiat minuto. Ille cui res credita erat cuſtodienda, ſi cauſam ſuam ageret ac ſi perdita eſſet, et iurat, tandemque confitetur, ſe poſſidere, et iterum ac ſi amiſſa eſſet, propalat, et iurat, iterumque confitetur, ſe habere, tenetur pro quovis iuramento dare quintam partem, una cum ſumma integra, uti ſcriptum eſt: ſuperaddet quintam partem, qua docetur, quod plures quintas partes ſummae principali addere debeat.* * Sed quid intereſt incertis his traditionibus diutius inhaerere, cum res, ponderata lege, confecta ſit: graviſſime illum a Deo puniri, qui nomen ſuum adeo profanaverit. Et in quavis republica bene culta adverſus periurium iuſtiſſimas leges eſſe publici iuris factas, experientia non tantum comprobatur; ſed ab multis abhinc ſeculis etiam ita inoleviſſe *Ius Orient. Caeſar.* teſtatur L. 41. C. tit. *de Tranſactionibus*, ubi lex litigatori vel teſti haec praeſcripta eſt: quod qui in foro εφαπτομενος των αγιων Θεȣ Ευαγγελιων και ομνυμενος, επιορκος δε μετα ταυτα αποδεικνυμενος, γλωσσοκοπειϑω, h. e. *tactis SS. Evangeliis Dei iuraverit et dein periurus eſſe probatus fuerit, lingua praeciditor.* **

§. III.

Quamvis vero valde exoſa erant periuria divino numini, et temporales aeternasque poenas infligerent; tamen medium addidit, pro immenſa ſua bonitate et gratia Deus, quo labem hanc et reatum,

* Vid. MAIM. *Sebebh.* c. IX. et de *Rapina* c. VII. Sect. XII, XIII. conf. doctiſſ. *Angl. Henr.* AINSWORTH Com. in Lev. VI. fol. 131. ed. Lond.

** Conf. SELDENUS de *Synedriis* p. 845.

reatum, ſi reſipiſcerent, delere, et reconciliatos ſe rurſus cum eo videre poſſent. Ita vero *iuramentum futile et temerarium*, ove foemella, aut turburibus, aut columbis, aut capra, ut hoſtia pro peccato illo, expiandum erat. Alterum vero genus iuramentorum, ſ. *vanum*, interdum ab omni poena non tantum, ſed et *ſacrificio expiatorio*, erat immune, ſi ſcilicet ex errore quodam aut ignorantia erat profectum. Neque hic inter ſe conveniunt hebraeorum Magiſtri; quidam enim idem ſacrificium, in omnibus iuramentorum ſpeciebus praeſtandum eſſe dicunt, imo ex diſciplina Talmudica legeque in illa fundata, verberibus et poena forenſi adficiendum, talem ſtatuunt. Quas tamen controverſias, cum naeniis accenſeri queant, componere, noſtri iam non eſt inſtitui, cum MAIMON. in *Schebb. Henric.* AINSWORTH *in Comment. in Levit.* f. 25. ed. Lond. *Ludov. Compiegne* de VEIL ad MAIMON. librum de Sacrif. c. X. p. m. 155. ed. Lond. 1683. et *Io. Henr.* OTHO in Lex. Rabb. Philolog. p. m. 303 ſqq. ſvaviſſimum nobis hac in parte reliquerint otium, ad quos lectores remittimus.

§. IV.

His itaque probe ponderatis, quaecunque de iuramentis in gente iudaica olim obſervata fuerunt examinatis, iudicium penes lectorem eſto: an non melius ſit iisdem penitus abſtinere, ſi fieri poſſit, quam aut periurii poenas certiſſimas ſibi accelerare, aut certe levis maculae notam ſibi inurere, ſi de fide et pietate noſtra, non omne auferri poſſit dubium. Hebraeos certe doctores eadem mente fuiſſe, MAIM. *in Schebhuoth* c. XII. §. 12. auctor eſt certiſſimus, dicens: שובה היא לאדם שלא ישבע כלל *bonum eſſe homini non omnino iurare*, etiam ſi Dei nomine vel cognomine interpoſito fuerint concepta. Eadem fide, etiam PHILO eſt, dicens *καλιστον και βιωφελεστατον λογικη φυσει το ανωμοτον, ουτως αληθευειν εφ εκαστου δεδιδαγμενη, ως τους λογους ορκους ειναι νομιζεσθαι. Optimum atque utiliſſimum rationalique naturae eſſe convenientiſſimum iuramento abſtinere, atque ita ſe veritati adſuefacere, ut verba pro iuramento accipiantur.* Et alibi rurſus: *ο του σπουδαιου λογος ορκος εστω βεβαιος, ακλινης αψευδεστατος: Viri boni oratio pro iuramento ſit firmo, immutabili et fallare neſcio.* Quam ob cauſam ESSENORUM diſciplina omnino eſt laudanda, de quibus IOSEPHUS *de B. I.* II, 2. memoriae prodidit; quod ipſum iuramentum quaſi periurio deterius vitarent; Iam enim mendacii

con-

condemnatum arbitrantur, cui
tamen de inutili et frivole inter
ctum esse putamus, nam iudicia
quamvis non negandum sit, cauti
debere. Recte hinc AUGUSTIN
506. *intelligitur ita dominum prob*
est, quisque non iuret, quod mult
tanquam magnum aut suave aliq
ergo iurare cupiditate aut delecta
lumine naturae ducti hoc agnos
esse temperandum. Expresse en
boni descriptione occupatus: *S*
tibi negotium est, noli ei iurisiurar
fore ut mentiatur, ne coge eum et
veteres certe acutissimi, pia effata
habuerunt PYTHAGORAS et SO
alter ita: *Non iurandum per Deo*
re, ut nec iurato sibi credatur.
sensus expressit ALEXIS ille Co
ἀννευσω μονον. *Nutus mei pro iur*

Atque ita nos executos fui
tationis huius, promisimus. H
benignioris Lectoris iudicio co
sua in elaborando gratia singu
gratias, Lectoresque ea qua dec
magno numero obvios, propter
nobis condonet, certissimusqu
qua cecinit olim MARTIALIS *lib*

Non meus est error, n
Dum properat



ntur, cui sine Deo non creditur. Quod
vole inter aequales adhibito iuramento di-
am iudiciali sua stat omnino laus et honor,
n sit, cautius eadem in foro hodierno institui
GUSTINUS: in Ep. ad Gal. c. I. Tom. III. fol.
inum prohibuisse a iurando, ut quantum in ipso
quod multi faciunt, in ore habentes iurationem,
suave aliquod, et non longe *post*: *prohibemur*
aut delectatione iurandi. Gentiles certe ipsi
oc agnoscentes, statuerunt a iuramentis sibi
xpresse enim dicit M. ANTONINUS, in viri
upatus: *Si credis veracem esse eum, quo cum*
iurisiurandi imponere necessitatem, quod si fec
oge eum et peierare. Et ut EPICTETI inter
i, pia effata nunc taceam, eandem sententiam
RAS et SOLON apud STOBAEUM, quarum
m per Deos, quemque enim id curare debe-
redatur. Omnium autem optime animi sui
IS ille Comicus, dicens: ορκος βεβαιος εστιν
mei pro iureiurando valent.
ecutos fuisse, speramus, quae in limine disser-
simus. Hinc qualemcunque hanc opellam,
udicio commendamus, et Deo pro exhibita
atia singularique favore, supplices agimus
a qua decet humanitate rogamus, ut errores
s, propter innumera eaque graviora negotia
issimusque sit, eadem fide nos dicere posse,
TIALIS *lib. II. Ep. VIII.*
est error, nocuit librarius *illis.*
properat *versus annumerare tibi.*

